DISP
I

In Gymna
Le

BARTH

Ita scriptæ, vt
ac metho
ma

Cu

DE [illegible] A [illegible] VRA ET PROP[illegible]TATI-BVS HISTORIÆ,

Commentarius,

Priuatim in Gymnasio Dantiscano propositus

à

BARTHOLOMÆO KECKERMANNO,
Philosophiæ ibidem Professore.



HANOVIÆ
Apud Guilielmum Antonium,
MDCX.
Cum gratia & priuilegio S. Cæsar. Maiestatis.

LECTOR BENEVOLE,

DE Natura Historiæ; *non ita iudicatum aut scriptum hactenus fuisse vt debebat, id verò sæpe me & alios suos auditores priuatos monebat V. Cl.* BARTHOLOMÆVS KECKERMANNVS. *Hinc factum est vt eum ego obnixè rogarem, vellet mihi, quē singulariter complecti cognoueram, suam de nobilissimo hoc argumento sententiam communicare. Quod quidem pro sua beneuolentia mihi non denegauit; prælecto de* Natura Historiæ *hunc, quem vides,* Commentario. *Cui postea Auctarium appendere voluit, de* Historiarum auctoribus, & de ratione cum fructu Historias legendi. *Sed illud non absoluit, impeditus valetudine aduersâ. Quā,*

vt Deus Opt. Max. in meliorem vertat, mecum orabunt illi, qui virum norunt. Interea istud Auctarium *etiam nōdum absolutum, & quale quale est, spero profuturum Politicæ & Historiarum amatoribus: quos spero hoc meum Commentarii istius edendi studium non improbaturos, cum præsertim mihi soli habere eum potuerim; vtpote cui penè soli autor prælegit, & cui peculiariter destinauit ac dedicauit. Vale.*

DAVID SCHVMANNVS,
Dantiscanus.

COMMENTARIVS DE NATVRA HISTORIÆ.

CAPVT I.

In quo præcognita & partitio totius Tractatus.

1

DE Historiis & Historico studio plurima à præstantissimis auctoribus scripta sunt, & magna parte collecta ac digesta in Volumina duo, quib. Penu Historiæ, *Titulus datus est: Interim tamen non desunt fortassis, quæ in omnibus istis autoribus desiderare possis, præsertim si spectes modum ac rationem, Historias dextre & vtiliter tractandi siue legendi. Quæ me causa mouit, cur hanc commentationem susciperem, & traderem illis qui mihi singulariter commendati sunt.*

2 *Neque id ago, vt Penu Historicum, atque adeo eximium librum Bodini, qui dicitur* Methodus Historica, *ex studiosorum manibus excutiam: sed id intendo, vt quæ illi vel confusius, vel imperfectius monuerunt, magis logicè, siue methodicè proponam, vt Historiarum*

ſtudioſi illos authores poſſint maiori cum fructu legere, & dextre iudicare, quid ab illis rectè aut ſecus conſulatur.

3 *Sunt enim, vt dicam quod res eſt, in illa Penu Hiſtorica, ſæpe mira & tortuoſa iudicia de Hiſtoriis, quæ longe aberrant à ſcopo, & diſcentium ingenia turbant atque intricant, niſi Logicum & Methodicum & dextrum iudicium ad eorum lectionem afferatur: Vt non dicam quam varia & inter ſe pugnantia ſint iudicia, nonnullorum, qui de Hiſtoria & eius ſtudio ſcripſerunt, ita vt Lectores minus inſtructi neſciant, quid probare, quid reprobare debeant.*

4 *Partiemur autem hunc tractatum noſtrum in quatuor præcipue membra. Quorum primum erit*, de natura & proprietate Hiſtoriæ. *Alterum*, de diſtinctione ſiue diuiſione Hiſtoriæ. *Tertium*, de Hiſtoricis ipſis, eorumque proprietatibus & delectu. *Denique quarto*, de modo ſiue methodo & ratione Hiſtorias dextre legendi, notandi, & memoriæ commendandi.

PARS

PARS PRIMA

De Natura & Proprietatibus Historiæ.

CAPVT I.

De Natura Historiæ, siue quid sit Historia.

HISTORIÆ *vox ambigua est; sumitur enim interdum generalissimè pro omni doctrina & scientia, & ita Historia tam latè patet, quam eruditio omnis diuina & humana. Interdum verò sumitur strictius, pro explicatione siue doctrina & notitia singularium siue indiuiduorum, & ea significatio tanquam magis propria, huc potissimum pertinet.*

Historia Græca vox est, quam Plato in Cratylo dictam esse ait, παρὰ τὸ ἱστᾶν τὸν ῥοῦν, vel ὅτι ἵστησι τὸν ῥοῦν, quod fluxum rerum sistat, atque adeò consulat memoriæ humanæ, quæ fluxa & labilis est; siue, vt alii interpretantur, quod antiquitatis & Historiarum cognitio sola firmam & stabilem scientiam gignat. Sed illa Etymologia Platonica magis videtur esse allusoria, quam vera. Itaque magis probo eam originationem vocis, quę est παρὰ τὸ ἱστορῆσαι, quod significat *contẽplari* & *considerare*, vel potiùs παρὰ τὸ ἱστορεῖν, quod significat *coram spectare, inquirere*, & *explorare aliquid:* qui enim Historiam scribit, eum necesse est, aut coram spectasse res, aut

ab iis accepisse qui præsentes viderint. Qui plura volet de origine huius nominis, consulat Gellium lib.5.cap.18.

Cæterum quod de ambiguitate vocabuli Aphorismus monuit, id obseruari debet, propter eos, qui Historiam & eius studium nimis latè extendunt, ad omnem eruditionem humanam & diuinam, atque ita confundunt doctrinam rerum vniuersalium, quæ est in artibus & scientiis proprie dictis extra Historiam, cum notitia & explicatio rerum singularium & indiuiduarum, quæ propriè est Historia. Quâ confusione peccarunt aliquot Historici in Penu Historica, nec longè abest ab hoc errore Bodinus in methodo Histor.

2 *Historia ergo est explicatio & notitia rerum singularium, siue indiuiduorum, eo fine suscepta, vt vniuersalia ex iis euidentius à nobis intelligi & confirmari possint.*

3 *Ea definitio breuiter nobis resoluenda est: constat enim primo genere, pòst obiecto, & denique fine.*

4 *Genus Historiæ est notitia determinatissima, siue explicatio indiuidualis.*

5 *Vnde sequitur primò Historiam non esse disciplinam, atque adeo nec esse scientiam, nec prudentiam, nec artem: quia omnis disciplina est rerum seu præceptorum catholicorum & vniuersalium, atque adeo generum & specierum. Historia autem non est rerum, seu præceptorum vniuersalium, siue non est notitia vniuersalis,*

sed

ſed ſingularis, reſtricta & determinata ad indiuidua, & ad circumſtantias temporum, locorum & perſonarum.

Principium & fundamentum dextri iudicii de Hiſtoria pendet ab hoc Aphoriſmo. Nam primò ex eo apparet quantus ſit error eorum, qui hiſtoriam conantur diſponere propriâ quadam methodo, non pendente à methodo aliarum diſciplinarum, cùm tamen methodus nullibi ſit niſi in diſciplinis, quarum eſt forma. Cum ergo Hiſtoria non ſit diſciplina, euidenter ſequitur quod non habeat methodum, ſeu formam propriam & diſtinctam à diſciplinis; vnde & alter error facilè agnoſcitur eorum, nempe qui peculiares quoſdam locos Hiſtoricos, diſtinctos à locis aliarum diſciplinarum ſibi fingũt, cum interim loci communes nil aliud ſint quam capita methodi. Cum ergo Hiſtoria non ſit diſciplina, atque adeò non habeat peculiarem methodum, ſequitur quod etiam non habeat capita methodi, id eſt, Locos communes peculiares ac diſtinctos: Sed quod hiſtorica debeant reduci ad locos diſciplinarum proprie dictarum, cum nihil aliud contineant Hiſtoriæ, quam Exempla præceptorum: præcepta ergo habent ſuam methodum, exempla verò non habent methodum, niſi eam quæ eſt in & à præceptis. Tertius error eſt imprimis vulgatus, & interim valde damnoſus iuuentuti, quæ voluptate & iucunditate ſtudii Hiſtorici ducta, Hiſtorias ex profeſſo incipit legere plerunq;, antequam diſciplinas & præcepta ea cognouerit, quibus methodus ineſt, & loci communes illi,

ad quos Historiæ reduci debent, quod quidem valde est præposterum, & facilè intelligi potest ex cōparatione aliarū disciplinarum. E. g. Grammaticæ, Logicæ, &c. Sicut enim absurdus fuerit, qui exempla Grammat. Log. Rhetoricæ velit cognoscere & notare antequam didicerit præcepta, ita absurdissimus haberi debet, qui Historias, id est, exempla Ethica, Oeconomica, Politica, seriò & ex professo, velit legere & notare, antequam habeat perspectam methodum præceptorum Ethicorum, Oeconom. Polit. &c.

Pertinet ad hunc Comment. etiam ista quæstio: *An Historia sit pars Grammaticæ?* ita enim videtur statuere Quintilianus lib. 1. Instit. cap. 9. vbi Grammaticam partitur in Methodicam & Historicam. Sed rectè Scaliger hoc interpretatur, lib. 1. de Caussis Latinæ linguæ, cap. 1. quod nempe per Historiam Gram. intelligant resolutionem autorum. Et Budæus in Commentariis *ad legem 2. de Origine iuris*, docet, Enarrationem authorum, non tantum Historicam putari ex eo, quod sine fabularū memoria nequeat expediri, vt vult Seneca lib. 13. Epist. 89. sed etiam, quod Grammaticus interpres simpliciter referat factum autoris, & exponat quid per scriptum velit simpliciter intelligi. Quo sensu etiam inter 4 modos scripturam interpretandi, de quibus agit Augustinus lib. 1. De Genesi ad literam, cap. 2. & Cusanus lib. 8. Excitationū, recenseri solet Historica interpretatio, quâ nempe res nudè commemorantur vt gestæ sunt, omissa allegorica & theologica interpretatione. Sic nempe Historiæ nomen generalissime hîc etiam vsurpatur, prout etiam apud Aristotelem, qui

lib. suis

lib. suis Physicis quos scripsit de animalibus, dedit Titulum, *Historiæ Animalium*, & apud Ælianum, qui præ se fert titulum, Vanæ Historiæ, cum tamen in eo multa sint vniuersalia, quibus propriè nomen hoc non competit.

6 *Tantum de genere: Sequitur Obiectum, quod spectatur vel communiter, vel distinctius.*

7 *Communiter spectatum obiectum Historiæ, est res singularis, siue indiuiduum, partim substantiale, partim accidentale.*

8 *Obiectum distinctius consideratum, est vel separatum, vel collectum.*

9 *Separatum obiectum, est vel Naturale, vel artificiale.*

10 *Naturale obiectum est, vel Spirituale, vel Corporeum.*

11 *Spirituale obiectum naturale hîc appellamus, generalissime sumpto vocabulo naturæ, prout Essentiam significat substantialem contradistinctam artificialibus, & ita obiectum Historiæ est Deus, Angelus, bonus & malus; Denique anima humana à corpore præsertim separata; de qua multæ Historiæ passim leguntur.*

12 *Propriè dictum obiectum naturale est corporea substantia, eaque vel simplex vel mixta. Simplex, vt cælum & elementa:*

multa enim leguntur in historiis de singularibus casibus, quæ euenerunt in cælo, in aëre, in aqua, in terra.

13 *Mixtum obiectum, est vel perfecte, vel imperfecte mixtum.*

14 *Perfecte mixtum iterum est vel animatum, vt quid contigerit circa plantas aut ad plantas, quid circa animalia, bruta, quid imprimis circa hominem.*

15 *Inanimatum obiectum sunt, metalla, gemmæ & mineralia, multa enim singularia acciderunt circa aurifodinas, circa gemmas, & eiusmodi alia.*

16 *Imperfecte mixtum sunt meteora, vt quid acciderit circa cometas, fulmina, ventos, imbres, & similia, &c.*

17 *Ista obiecta corporea collectim spectata, vocantur* mundus, *circa cuius creationem memorabiles historiæ acciderunt, & accidunt nunc, & plura accident circa finem.*

18 *Sic de obiecto naturali. Obiectum artificiale distingui etiam potest in absolutum & collectiuum. Absolutum, E.g. est quid acciderit circa istam domum, circa istam arcem, speculam, curiam, monasterium, armamentarium, aut ædes alicuius priuati, &c. aut etiam circa piscinas, hortos, & similia quæ arte parantur.*

19 *Collectim spectatum obiectum artificia-*

le est

le est vel minus; vt, quid acciderit isti pago, vico, vrbi, oppido; vel maius, vt quid acciderit toti districtui & prouinciæ.

20 *Obiectum collectum siue magis Practicum, est vel minus vel maius.*

21 *Minus, est familia, collegium, conuocatio, atque adeò Senatus & Comitia.*

22 *Maius obiectum est vel vniuersalius, & dici potest obiectum Ethicum; vel Particularius, & est vel Oeconomicum vel Politicum, vel Scholasticum, & Ecclesiasticum.*

23 *Quod quidem obiectum maius consideratur vel absolute, vbi nempe spectantur homines eiusdem gentis; vel relatè, vbi diuersæ gentes inter se comparantur.*

24 *Tantum de Obiecto Historiæ: Sequitur Finis, qui est vel principalis, vel minus principalis.*

Principalis finis est, vt vniuersalia ex singularibus obseruentur, inductione exemplorum, & deinde vt vniuersalia iam obseruata, per singularia confirmentur, & singularia, siue exempla ad vniuersalia, siue regulas reducantur. Qui quidem est finis principalis primus; Finis autem principalis, ortus à primo, est, vt experientia singularium, confirmetur in nobis scientia & prudentia. Prudentia dico Ethicâ, Oeconom. Polit. Scholast. Ecclesiast. atque adeò vt discamus

bona imitari & amplecti, bonorumque præmia consequi, mala autem fugere, & pœnas declinare.

Hæc traditio finis pendet ex obiecto: Sicut enim obiectum est vel Theoreticum, vel artificiale, vel Practicum; ita quoque finis est vel Scientia, vel Ars, vel Prudentia. Alii generaliter admodum loquuntur de fine historiarum, quem dicunt esse hunc, vt omnium rerum memoria conseruetur & vigeat, itemque vt à singularibus Historiæ exemplis, quarumcunque rerum vniuersalia præcepta in artibus & scientiis constituantur, demonstrentur & illustrentur.

25 *Si quis materiam & formam Historiæ assignare velit, is sciat materiam esse ipsum obiectum: Formam autem esse explicationem singularium, veram, perspicuam, & methodicam.*

Caput II.

De Causis Efficientibus Instrumentalibus Historicæ Explicationis, siue Narrationis.

Tantum *de materia & forma Historiæ. Consequens est, vt ad causas efficientes instrumentales Historicæ narrationis veniamus, quibus tamen breuiter præmittemus causas efficientes principaliores.*

Est autem causa efficiens principalis Historicæ narrationis vel extraordinaria, vel ordinaria.

Extra-

Extraordinaria causa est inspiratio & patefactio diuina, quæ potissimum locum habet in Historia sacra.

Ita Moses etsi libros manuscriptos fortassis aliquos à primis parentibus & Patriarchis accepit de creatione mundi, lapsu primorum parentum, de diluuio, incendio Sodomæ, & aliis rebus quæ ante ipsum natum acciderunt: tamen dubium nullũ est Spiritum sanctum Mosi historiam scribenti, peculiariter adfuisse & talia ei inspirasse, quod idem de aliis Biblicæ Historicæ autoribus meritò statuitur.

Ordinaria vero causa efficiens principalis est vel remotior, vel propior.

Remotior, est vis sentiendi & obseruandi, homini à natura indita, quæ tamen nisi arte regatur, & errat facilè, & malè ordinat ac confundit, neque ita potest disponere, vt ratio & ars.

Propior verò causa est vel artis, vel prudentiæ.

Causa artis, siue artificialis imprimis est ars Logica, quæ cum sola doceat rationem explicandi Themata indiuidualia, seu singularia, ideò sola in nobis efficit solidam rationem Historicæ explicationis formandæ.

Certa res est, neminem posse historiam rectè scribere, qui non sit bonus Logicus, quod etsi non satis sit animaduersum ab iis autoribus, qui sunt in Penu Historiarũ, vel ab aliis etiã, qui de Historiarũ methodo scripserunt, tamẽ liquidò cõstare

potest ex iis, quæ præcedentibus capitibus docuimus de essentia Historiæ, & ex iis quoque, quæ in Gymnas. Log. de explicatione Them. singularium, & postea de ratione docendi, atque adeò etiam Historias texendi; nam & hoc est docere; à nobis sunt iuuentuti tradita.

Causa efficiens prudentiæ est peritia rerum Practicarum præcipue, præsertim autem Politicarum, ad quam & peregrinatio & diuturna experientia pertinet.

Vbi quidem non tantum intelligi debet prudentia Politica generalis, quæ sola non ita magnã vim haberet in Historicis, nisi accederẽt prudentiæ Politicæ specialis eius loci, aut Politiæ, ad quam Historia pertinet.

Et sic de Efficientibus principalibus.

Instrumentales efficientes habent hos generales Canones:

1 *Instrumenta explicationis Historiæ nil aliud sunt quam argumenta & termini Logici, quibus themata singularia, tam substantialia, quam accidentalia, & vtraque tam separata, quam combinata, tractantur & explicantur.*

2 *Hæc instrumenta accurate vsurpare debet is, qui vult Historiam tenere; sed non debet eos expresse ponere, verùm dissimulare prudenter quantum fieri potest, vt sit discrimen inter purum Logic. & Historicum, qui, vt antè monuimus, præter Log. instrumenta; etiam aliqua ornamenta Rhet. assumit.*

3 *Pro varia distinctione thematum singularium, quæ explicanda Historico veniunt, etiam diuersa adhibentur argumenta Logica, alia quidem in Historia indiuiduorum expertium omnis sensus, alia in explicatione indiuiduorum habentium quidem vitam & sensum, sed carentium intellectu, siue ratione. Et in ipsis indiuiduis rationalibus alia instrumenta vsurpanda sunt circa Historiam, de Deo, alia de Angelis, de hominibus, &c. iisque vel separatim spectatis, vel coniunctim in Oeconomia, Schola, Politia, Ecclesia.*

Summe vtilis est hic Canon quem posui; vtpote qui iudicium de explicatione Historica valde iuuet, & detegit communẽ errorem omnium, qui de Historia & eius instrumentis scripserunt; hi simul omnes, quotquot vidi, generalia instrumenta omnis Historiæ ponunt tria præcipue: 1. Prosopographiam, personarum descriptiones & genealogias. 2, Topographiam, locorum descriptionem. 3, denique Chronologiam. Cum tamen Prosopographia, atq; adeo Genealogia non habeat locum nisi in historia de hominibus, ita vt istud præceptum sit valde speciale, & neutiquam ita commune, prout proponitur ab autoribus.

4 *Ad omnem Historiam in vniuersum pertinet diligẽs inuentio & tractatio argumentorum externorum, inprimis vero circumstantiarum loci & tẽporis; ita vt verè dici possit eam Historiam, quæ circumstantialis non est, Historiam non esse.*

Circumſtātię id ſunt in Hiſtoriis, quod in cantu modi. Modi enim ſunt inſtar regulæ, cuius ductu harmonia dirigitur, vt inter alios latè docet Glareanus in Dodechordio: Ita in Hiſtoriis circumſtantiarum arg. veritatem Hiſtoricam & illuſtrant & confirmant, ſimulq; efficiunt, vt certam ex Hiſtoriis vtilitatē percipiamus. Vnde & Spiritus ſanctus in maximarum rerum deſcriptionibus circumſtantias omnes diligenter voluit notare per Hiſtoriæ ſuæ ſacræ amanuenſes. Quia nimirū ſine circūſtantiis vix credibilis hiſtoria humanæ menti videtur, neque poteſt ex ea prudentiam ſolidam comparare, niſi omnes circumſtantiæ expendantur: quia circumſtantia leuis conditionem totius negotii mutat, ita vt qui eam non aduertit, ſiniſtre de facto & eius narratione iudicet, atque adeo ſe & alios decipiat.

5 *Cum autem circumſtantiarum argum. duo ſint, nempe, Locus & Tempus; ideò rectè dicitur duo eſſe lumina, & duos velut oculos Hiſtoriæ, nempe* Topographiam & Chronologiam, *id eſt, annotationem loci, in quo aliquid factum, & temporis quo factum ſit.*

De vtraque circumſtantia, ſiue de Topographia & Chronologia, fuſius commentabimur infra, cum tractandum fuerit de dexteritate legendi Hiſtorias.

6 *Quando hominis aut hominum facta aut paſſa, ſiue actiones & paſſiones explicandæ & narrandæ ſunt, adhiberi debet diligenter argumentum ſubiecti & obiecti, & ſubiectum, id*

eſt,

eſt, perſona quæ aliquid egit aut paſſa eſt, adeoq; obiectum, id eſt, perſona circa quam aliquid actum eſt, debet explicari, ſiue, vt loquimur, deſcribi, aliis quibuſdam argumentis, tam nominis quam rei, quam explicationem vocant Proſopographiam.

Proſopographia ergo, vt ante monuimus, non eſt generale argumétum hiſtoricæ explicationis, ſed ſpeciale. Explicatur autem perſona primò, nominis arguméto, de quo infra etiam plenius monebimus, cum Hiſtorici ſæpe errét circa nomina, atque adeò hiſtoriarum lectores non raro decipiantur. Arguméta autem realia, quibus perſona explicatur, accuratè tradita ſunt in Gymnaſ. Logico; hîc tantum breuiter monemus pleraq; reduci poſſe ad iſta duo, népe ad cauſas efficientes, & ad accidentia. Cauſæ efficientes ſuppeditant Genealogias, de quib. monebũt ſequẽtes Canones.

7 *Ad perſonarum explicationem pertinet Genealogia, quæ tamen in priuatis perſonis raro texi ſolet, cum pertineat potiſſimum ad perſonas magnas & publicas, vt ſunt Principes, Reges, Imperatores.*

Inſitus eſt humanæ menti amor originum ſiue cauſarum cuiuſque rei, & cupiditas iſta indagandi præſertim, cum dignitas originis & cauſæ, addat etiam dignitatem effectui; etſi igitur omnes homines originem ſuam habeant à Deo, & ab Adamo, tamen cupiunt contexere ſeriem reliquarum cauſarum efficientium, magis vicinarum, cumque in homine ſit imago Dei, DEVS verò ſit

æternus, ideo homo amat quoque aliquid quod sit simile æterno, id est, antiquitatem suæ originis; & quidem originis legitimæ, non spuriæ: vnde fit quod omnes feramur ad contexendas series nostrorum maiorum: sed quia homo, qui ex homine nascitur, illo ipso quo nascitur, clarior & præstantior esse potest, ideo sæpe hic effectus dignior est sua causa; vnde ii, qui ex obscuris & minus præstantibus maioribus orti sunt, cupiunt suas origines & genealogias occultatas: sed & homines obscuri & indocti, qui maiores aliorum fuerunt, origines suas non annotarunt, ita, vt raro priuatus aliquis, & plebeius vltra proauum suum numerando progredi possit.

Quod ad Principes, Reges, Imperatores, illi & ab insignibus & ab historiis habent adminicula, vt possint origines suas paulò felicius contexere; dico paulò felicius: siquidem & in his magna est sæpe incertitudo & vanitas, vt paulo post notabimus. Interim tamen interest Principum, Regum, &c. Genealogias Historiis prodere, quod & superuacaneum, & sæpe ridiculum foret, si fieret in explicatione priuatarum personarum.

8 *Continuata series causarũ efficientium in generatione hominis, etiamsi clarissimi, accuratissime haberi nequit, nisi Deo singulariter istam Genealogiam conseruante aut inspirante: Nam primo non annotauit antiquitas, aut etiam ignorauit suas origines, atque adeo nesciuerunt maiores nostri, quinã ipsorum fuerint maiores; & fit sæpe præuaricatio per liberos naturales siue*

les siue spurios, per concubinas, pellices, adulteria, itemque bigamias aut polygamias. sed & nominum mira est apud antiquissimos, præsertim inconstantia & variatio, & fuit frequentissima gentium migratio, per quam etiam sæpe viri principes ignorarunt, quo proauo, aut abauo nati essent.

Vtilis est hic Canon ad formandum iudicium de Genealogiis, quibus se multi nimis iactitant, cum tamen in causis primis & antiquissimis circa humanam generationem nulla possit esse certitudo, propter causas in Canone enumeratas, nisi accedat, vt dixi, Dei reuelatio. 1, Quod obseruandum est contra eos, quibus ipsa vetustas præbet mentiendi audaciam, quique vel per summam negligentiam, vel etiam malitiam & temeritatem, populorum origines, & Principum Genealogias, his præsertim temporibus frequenter effinxerunt, atq; adeo istis suis figmentis aliquid gratiæ aut pecuniæ à principe aucupantur, dum eius maiores continua serie ab Hercule aut Hectore, aut etiam ex ipsa Arca Noe deducunt. Sic quidam Illustrissimum stemma Lotharingiæ Ducum, ab Antenore, Troianarum reliquiarum ad paludes Mæotidas rege, deduxit, edito de hac re scripto Parisiis anno 1580. Cum tamen omnes historici repugnent, quod Antenor intima regna Ponti penetrarit, & regnum ibi sedemque constituerit, potiusque in eam oram migrasse volunt, vbi nunc sunt Venetiæ, addantque fuisse Patauii conditorem. Sicut adhuc eius Epitaphium Patauii ostenditur: de quo tamen ipso nolim aliquid

certi affirmare. Quare prudentissime fecit Maximilianus I I. Imp. qui Historicum suum grauissime reprehendit, quod eius Genealogiam, tali modo, quo dixi, nempe ab illis, qui ante aliquot millia annorum vixerunt, contexuisset.

9 *Veterum de Genealogiis monumenta perierunt, quam iacturam pensare studuerunt recentes nonnulli, quorum labor, si intra metas suas se contineat, laude est dignissimus.*

Etiam hoc nos mouere debet, ne simus nimis scrupulosi in Genealogiis familiarum, quod veterum monumenta omnia, quæ de Genealogiis magnarum familiarum scripta sunt, perierint: Recentes nonnulli, & inter hos *Reinerus Reineccius* magno labore veterum Principum Genealogias contexere conati sunt. Recentium plurimorum habet tum *Chytræus* in suis Historicis, tum inprimis *Henningius* in opere suo magno Genealogico.

10 *Post personæ explicationem, sequuntur deinde argumenta accidentium & effectorum, ac consequentium, vt sunt inprimis consilia, dicta, facta, euentus.*

Quæ singula, quomodo in Historiis notanda sint, infra monebitur. Et tantum etiam de Causis efficientibus explicationis Historicæ.

CAPVT III.

De Proprietatibus Historiæ.

1 *CONsiderauimus hactenus ipsa essentialia Historiæ, qualia nempe esse possunt: Consequens est vt ea etiam breuiter tractemus, quæ essentiam consequuntur, vt sunt proprietates & requisita Historiæ, & deinde effecta.*

2 *Proprietates Historiæ sunt vel primæ, vel à primis ortæ: Primas voco, quæ potissimum pendent ex genere & obiecto Historiæ. Inter has proprietates prima est, quod Historia sit notitia imperfecta: omnis enim tractatio singularium siue indiuiduorum est imperfecta.*

3 *Altera proprietas est, quod Historia per se nullam habeat methodum propriè dictam, quia omnis methodus habet certam determinationem & finitudinem; Singularia autem sunt infinita, ideo methodum non recipiunt, si nempe omnia simul considerentur.*

4 *Itaque nullus homo perfectam Historiam vnquam discet, quia plurima singularia, quæ ante nos acciderunt, notata non sunt, & quæ post nos accidunt, notari nondum potuerunt, imò non omnia possunt notari, quæ nobis viuentibus accidunt, propter infinitudinem rerum, & hominum singularem.*

5 *Est etiam hæc proprietas Historiæ, quod non possit esse omnibus modis certa, idque propterea; primò, quia singularia sunt infinita, infinitorum autem nulla est certa notitia. Secundò, quia singularia sensu potissimum cognoscuntur; impossibile est autem, vt omnis Historicus omnia singularia, de quibus scribit, videat, aut non fallatur in illa infinitudine circumstantiarum, cum non possit omnibus singularibus, de quibus scribit, semper adesse, neque admittatur ad omnia singularia, præsertim secreta. Quare, si ex auditu & relatione aliorum aliquid accipit, facilè etiam fallere illi possunt qui referunt, & duci affectibus in referendo, aut etiam ipsi omnia videre non potuerunt, aut omnium etiam meminisse quæ viderunt; ita vt nulla Historia sit indubitatæ fidei, excepta Historia sacra, quæ est in verbo Dei, vbi defectum sensuum suppleuit inspiratio Spiritus sancti.*

Huc pertinet præclarus & memorabilis locus, qui extat in Flauio Vopisco, lib.3. vbi de Aureliano Imperatore scribens, inquit: *Neminem Scriptorum, quantum ad Historiam pertinet, non aliquid esse mentitum, & esse in quo Liuius, in quo Salustius, in quo Tacitus, in quo denique Trogus manifestis testibus conuinci possint.* Quod dictum citat & exemplis illustrat Camerarius parte 1. Medit. Hist. cap.49. Seneca lib.4. Natural. Quæstionum cap.3. *Historici,* inquit, *cum multa mentiti sunt ad arbitrium suum, tandem adiiciunt illud,* PENES AVTOREM FI-

DES ESTO. Picus Mirandula, Tomo 2. operum ſuorum, lib. 2. qui eſt de examine doctrinarum, cap. 37. *Nemo*, inquit, *eſt Hiſtoricorum, qui falſa non habeat.* Cornelius Agrippa lib. De vanitate ſcientiarum, cap. 5. *Hiſtoria*, inquit, *maxime omnium rerum ſeriem, fidem, conſonantiam, veritatemque expoſcit, illa tamen minime præſtat, tam inter ſe diſſentiunt Hiſtoriographi, tam varia & diuerſa de iiſdem tradunt, vt impoſſibile ſit plurimos illorum non eſſe mendaciſſimos.* & reliqua quæ ſequuntur. Hinc nimirum tam grandes lapſus in Hiſtoricis, quos diligenter annotauit præ cæteris *Ludouicus Viues*, lib. 6. de cauſis corruptarum artium, & *Melchior Canus* Hiſpanus in ſuis Locis communibus, vt ſuo loco citabimus. Lucianus more ſuo, traducit Hiſtorias duobus libris ſcriptis, quibus Titulum dedit *Verarum Hiſtoriarum*, in quibus falſiſſima & abſurdiſſima quæque colligit, quomodo nempe ad orbem Lunæ trãsfretauerit, & viderit pulicem duodecim elephantis maiorem, &c. Ita nempe more ſuo ludit in Hiſtoricos, qui nimis arroganter certam ſibi fidem arrogant, quæ tamen ex natura & proprietate Hiſtoriæ, vel potius ex imbecillitate hominis, ſingularia omnia non valentis exacte cognoſcere, ſtatui non debebat.

Hinc ſequitur altera Proprietas, nempe quod non debeamus nimium tribuere Hiſtoriis humanis, neque eſſe nimis creduli, etiamſi aliquid à grauibus viris ſcriptum ſit, & editum publicè. Interim etiam vitare alterum extremum, quod non debeamus plane eſſe increduli; quia ſingularia ſenſu cognoſcuntur, qui non fallit per ſe,

etiamsi fallat per accidens, propter obiectorum infinitudinem & varietatem, ac propter sentientis absentiam aut imbecillitatem.

Quod Prouerbio dicitur, *Mundus semper est in extremis*, id quoque locum habet circa Historias; nonnulli enim nihil plane credunt, & omnia pro fabulis ducunt; alii vero nimium credunt, & talem certitudinem in Historiis ponunt, qualis est in rebus vniuersalibus, quarum scientia ac demonstratio, sicut quidam Historicus, aliàs magnus, *Reinerus Reineccius* in quadam Epistola huic errori videtur obnoxius, cum scribit: *Falluntur qui vagam quandam seu confusam scientiam Historiam esse censent; habet enim illa certos & definitos limites*, &c. Putat Historiam esse scientiam determinatam & ordinatam, quod non esse suprà ostendimus; propterea quod Historiæ obiectum sint res singulares vagæ & indefinitæ; qualis autem res est, talis est notitia rei; idcirco sapientissimum est monitum Aristotelis, dicentis: *In Historiis neque nimis credulos, neque incredulos plane nos esse oportet:* Quasi diceret, medium tenendum esse, & vitanda duo ista quæ notauimus extrema. Pertinent huc duæ vtiles admonitiones Diodori Siculi; quarum prior est, *in priscis rebus veritatem non esse ad vnguem quærendam*. Altera est, *Antiqua nequaquam ex iis quæ iam geruntur, examinanda esse.*

Oritur & inde alia proprietas, nempe quod impossibile sit diuersos Historicos in omnibus circumstantiis inter se conuenire, etiamsi de eisdem rebus tractent; quia nimirum notitia singularium

gularium

gularium à ſenſu pendet, omnes autem intereſſe rebus non potuerunt, idcirco ex fama ſcribunt & relatione; ad omnes autem eandem famam & relationem peruenire eſt impoßibile. Vnde & iſta proprietas pullulat, quod Hiſtoriæ legendæ ſint cum moderatione animi & cum venia, neque ſtatim vituperandus Hiſtoricus, etiamſi falſa narret, cum id non faciat ex deſtinato, ſed ex impoſita neceſſitate errandi omnibus hominibus circa res ſingulares, tanquam varias & infinitas.

Huc pertinet illud, quod Arrianus, Dion & Pauſanias monent, *de incertis conuenit prodere meliora, reticere peiora.* Et Bodinus p.37. Methodi Hiſtoriæ monet, quod interſit Reipub. vt moderate iudicemus de Hiſtoriis, alioquin enim neminem futurum, qui aliquid ad poſteritatem tranſmittere velit. De qua eadem re tractat etiam Melchior Canus Hiſpanus, lib.11. Locorum Communium, cap.7. vbi oſtendit vinculum humanæ ſocietatis diſſolutum iri, ſi nemo alteri credat in relationibus Hiſtoricis.

Hinc etiam ſequitur altera proprietas, quod non ſit neceſſe, vt omnes Hiſtorici inter ſe conſentiant, & quod quærenda ſit moderata conciliatio, etiamſi de multis & variis perſonis, & diuerſis idem narrant Hiſtorici.

Baccius egregius medicus p.71. de Vnicornu,

postquam recensuisset varias Historicorum opiniones, tandem probat, non esse necesse ad veritatem Historiæ, vt omnes Historici inter se consentiant. Et sane quod ad personarū, siue humanorum indiuiduorum facta, dictaque attinet, certum est, facile fieri posse, vt eædem personæ idem agant & dicant, atque idcirco non debere esse suspectam fidem Historici, si diuersæ personæ aliquid tribuat, quam alter Historicus. E.g. Friderico Tertio Imp. tribuitur elegans symbolum: *Rerum irrecuperabilium summa felicitas obliuio.* Quod vetustius esse constat ex verbis Diomedis apud Dictem Cretensem, lib. 2. Idem etiam in factis statuendum est. Nihil enim impedit quo minùs vnum factum multis sit commune. E.g. Sesostris Ægyptius triumphauit victis regibus, currum trahentibus, teste Suida, & Plinio lib. 33. cap. 3. Sed inde tamen non sequitur, quod Cyrus idem facere non potuerit; De quo id testatur Cedrenus in compendio Historico.

Hucusque de Proprietatibus primis, sequuntur ortæ; inter quas prima est, quod cum res singulares sunt infinitæ, non quælibet minuta, sed digniora tantum, cognoscenda sint, & perscribenda, neque tam priuata, quam publica.

Bodinus p. 13. Methodi Historicæ, *Ut academici*, inquit, *rerum anilium nullas ideas posuerunt, ita futilibus actionibus Historia constare non debet.* Eunapius in principio de Vitis Philosophorum, annotat, Alexandrum haud ita magnum fuisse futurum, nisi cognouisset ex Xenophonte, quod gesta clarorum virorum, ab Historicis nonnullis per-

functorie

functoriè annotentur, idcirco præclaro voluntatis conatu sibi putauit enitendum, ne Historici alia quam magnifica opera à se feliciter confecta possent perscribere; Id quod sane omnes Historici facere tenentur; ita vt meritò Capitolinus accuset Cordum, quod obscuriorum Imperatorum minima quæque curiosius sit persecutus, cum ne summorum quidem Imperatorum & maximorum Principum, singula sint perscribenda; sed illa tantum quæ digna sunt memoria: Siquidem enim Historia hunc finem habet, vt ex infinitis singularibus ea notētur, quæ intellectum iuuent, ideo minuta quæ in infinitum excurrunt, meritò omittuntur. Vt enim frigida negotia simul & auocant animum & comminuunt, vt inquit Plinius lib. 9. Epist. Ep. 2. ita quoque frigidorum negotiorum narrationes, vnde & Atticus apud Ciceronem lib. 1. de legibus, & in 2. de Oratore, reprehendit antiquioris Historiæ ieiunitatem, propterea quod Historia rebus magnis, memoriaquè dignis astringatur. Vnde & Valerius Maximus reprehenditur à Lampridio in vita Commodi Imperatoris, quod minutiarum imprudens sectator fuerit. Et Dion, lib. 72. protestatur se comminuere grauitatē Historiæ, quando domesticam Commodi Imper. consuetudinem latius attingit, etsi illa protestatio videatur quodammodo facto contraria: Et Salustius reprehenditur propterea à Victorio lib. 11. Variar. Lectionum, cap. 23. quod de Philenorum aris minuta quædam graui Historico indigna, suis Historiis admiscuerit. Quod vero ad priuata attinet, certum est ea postponenda esse publicis, nec facilè perscribenda in Histo-

riis, nisi fortè in iis sit aliquid singulare, quod ad Ethic. Oecon. aut Politicam pertineat; idcirco videmus Historicos probatos priuata parciùs attingere: Et Liuius ac Polybius, itemq; Plutarchus, Suetonius & alii, paucissima attigerunt de domestica familiaritate Romanorum; obiter aliquando subiecerunt priuata, sed qualia Lectorem possint deducere ad naturam & formam Reip. penitius intelligendam. Si quis autem vniuersam aliquam regionem describere velit, is priuata etiam attingere debet; siquidem ex numero plurium solemus æstimare vniuersum populum; sicut videmus id obseruatum esse à Leandro in descriptione Italiæ, à Simlero in descriptione Heluetiæ, & ab aliis.

Est & hæc proprietas historiæ, quod non tantum res eas tradat, quæ ad statum Reipub. pacatum pertinent, sed etiam quæ ad turbatum; nempe seditiones & bella, in quibus sanè multa sunt vana, vt inquit Plutarchus; id est, multi rumores falsi, præterquam quod etiam rara sint bella legitima, & pleraque quæ bella dicuntur, sint mera latrocinia.

Ita vt disputent nonnulli, *An bella accurate in Historiis sint persequēda?* id quod negat Ludouicus Viues lib. 5. de tradendis disciplinis, pag. 507. vbi inquit: *Bella in Historiis non tam accuratè persequenda, cum tantum instruant animos ad nocendum, & vias ostendant quibus nos inuicem lædere possimus:* Cornelius Agrippa de Vanitate Scientiar. cap. 5. Historias eo nomine calumniatur, quod magnos & furio-

& furiosos latrones, famososque orbis prædones describant, ex quibus descriptionibus præcipuam quandam nasci prudentiam, sed & ex iisdem summam hauriri perniciem, certum sit. Sed etsi vt Melanchthonis axioma habet, *plæraque bella sint latrocinia*, tamen multa etiam sunt legitima, in quibus multa sunt egregia consilia: consiliis n. atque armis pugnandum est, multaque viribus insuperabilia conficiuntur ingenio, inquit Plutarch. in Solone, vt nihil dicam de illustribus exemplis stratagematum, & eiusmodi aliis, quæ mirifice historiæ finem, nempe prudentiam iuuant: Interim tamen quia status pacatus prior & perfectior est turbato, ideo historia potius referri debebat ad statum pacatum; neque per omnia sunt laudabiles istæ Historiæ, quæ tantum in bellis narrandis occupatæ sunt, qualibus potest applicari illud Isaaci Causaboni præstantis Philologi: *Tolle Historiis bella, & quid supererit?*

Res longinquæ cum magna quadam cautione & moderatione narrandæ in Historiis.

Dici prouerbio solet: Trium hominum mendacia esse velut impunita; primò eorum, qui res longinquas & procul à nobis remotas, ac velut in altero orbe gestas, narrant. 2, Senum, quibus creditur propter ætatem & experientiam, etiamsi mentiantur. Tertio, peregrinantium: Lucianus libro primo Veræ Historiæ, cum multa mendacia narrasset earum rerum, quæ in longe dissitis regionibus accidissent,

tandem addit, *tu si non credis illi, rem exploratum abi.* Ibi respondet alter: *Credam tibi potius, quam vt eô eam.* Ita Munsterus à multis reprehenditur, quod mira quædam & fabulosa narret de gentibus Aphricanis, Indis & aliis, & Iesuitarum narrationes atque Epistolæ Indicæ putantur liberiùs fingere, quia narrant de iis regionibus ad quas pauci veniunt.

Et hactenus quidem Proprietates ortæ, pertinentes ad obiectum, seu materiam Historiæ: Sequuntur proprietates ortæ, pertinentes potissimum ad formale. inter quas prima est Veritas, nempe vt narratio historica consentiat cum re ipsâ.

Id quod sane difficillimum est propter rerum singularium naturam, de qua supra diximus, ex qua necessariò oriuntur ista tria, videl. Historicorum dissensus. 2, Historicorum grauis lapsus, & denique tricæ quædam ac disputationes inextricabiles.

Quod ad Historicorum dissensum attinet, is potissimum triplex est; Nam primò dissentiunt quo ad res ipsas, quas negant euenisse. E.g. Euripidem bigamum fuisse, asserit Gellius lib. 15. Noct. Atticar. cap. 20. Negat autem Moschopolus in vita Euripidis: aut dissentiunt quoad circumstantias, ita vt non negent euenisse, sed tantum aliis circumstantiis locorum & temporum: sic omnes consentiunt, templum Hierosolymitanum à milite Titi Imp. fuisse incensum, vtrum eodem die quo incensum fuit à Nabuchodonosore, annis ætate 617. in eo est dissensus. Iosephus quidem lib. 6.

lib.6. cap.10. de Bell. Iud. dicit præcise idem fatum eodem fere die & momento reciprocasse, id quod inprimis miratur. At si conferimus cap.25. lib.4. Regum, vers.21. apparebit, non vsque adeo exactè eodem die id cõtigisse; dicit enim textus, templum flammis hostilibus exustum fuisse die decimoseptimo mensis 5. Iosephus autem lib.10
c.11. hoc ipsum refert ad primũ diem mensis 5. 3.
dissensus est, quando Historici circa rem, eiusque circumstantias conueniant, sed non idem de iisdem iudicant, cuius diuersi iudicii multa exempla passim occurrunt.

Alterum, de quo diximus, est grauis lapsus & error Historicorum: qui accidit ex varietate & infinitudine, tum rerum singularium, tum circumstantiarum, præsertim vero temporis, vt suo loco audiemus. Sanè de Carneade refert Cicero 2. de Oratore, quod nullam vnquam rem defenderit, quam non probarit, nullam oppugnarit, quam non euerterit. At verò hic Carneades in plurimis controuersiis Historicis necessario defecisset, propter causam in System. Log. maiori allegatam, quod res singulares non sint primarium obiectum Logicæ, atque idcirco quod controuersiæ rerum singularium magis pendeant à sensu, quam ratiocinatione Logica. Ita vt necessario maneant tricæ inextricabiles in Historiis; id quod propterea monetur, vt cum magna moderatione legamus Historias, & cogitemus illud Aristotelis, primo Ethicorum, cap 4. *Hominis bene instituti est tantum certitudinis in qualibet re requirere, quantum eius natura patitur.* Interim tamen diligens meditatio & instrumenta nonnulla artis

Logicæ ad controuersias Historicas determinandas non parum possunt; id quod in Centuriis seu Problematis controuersiarum Historicarum aliquando ostendemus, si Deus & vitam & otium dederit; affectas enim eas habemus, non confectas.

Cæterum quia Historia tam periculosa res est, ideo grauiter reprehendendi sunt illi, qui vel de industria falsas Historias comminiscuntur, quales hodie plurimi circumferuntur in lingua præsertim Germanica. Gorreus quidem & similes autores, qui Amadisum & alia fictitia commenti sunt, grauiter taxantur à Bodino, pag. 37. & 47. & 52. Methodi Hist. vbi inquit: *Gorreus Parisiensis suas quas scripsit Amadisi fabulas, non minus veras ac probabiles, quam Iouii scripta fore confidit.* qui tamen ipse parum memor sui fuisse videtur, quando c. 4. inquit: *Licet suorum popularium dignitatem honesto mendacio tueri.* Lipsius in Epist. quadam de studio Historico, diuidit Historiam in *fabulosam* & *veram*; quam partitionem probare non possum.

Sequitur altera proprietas formalis, quæ est simplicitas, primò quidem fidei & affectus, ne quid falsi audeat scribere Historicus, & nequid veri non audeat; atque adeò, vt absit affectus, nempe odium, aut gratia erga personas, de quibus instituitur narratio.

Cicero 2. de Oratore; *Ne qua*, inquit, *suspicio gratiæ sit in scribenda Historia, ne qua simultatis.* Atque adeo vt vitetur illud, quod Flauius Vopiscus in vita Probi Imp. notat: *Omnes*, inquit, *omnium virtutes tantæ sunt, quantas videri ii voluerunt, qui vni-*

cuiusque

cuiusque facta descripserunt. Vnde etiam merito reprehenduntur immodicæ laudes Historici, vt inter alia monet Sidonius Apollinar. lib. 7. Epist. 9. Vnde & à nonnullis reprehenduntur Itali Historici, Iouius, Petrarcha, Bocatius, Folietta, & alii, quod nimium suos extollant.

Si enim elogia in censuris Historicis excrescant instar Panegyricorum, tum tota narratio legentium suspecta videtur. Idcirco Diodorus Siculus lib. 15. narrans mortem Epaminondæ, institutum suum esse dicit, strictim ac breuiter saltem, magnorum virorum laudes annectere narrationi de ipsorum obitu. Fuit in eo prudens etiam Xenophon: nam cum lib. 4. ἑλληνικῶν, de Agesilao scribit, tandem breuiter addit; *Hic Agesilaum magnanimum sine controuersia appellare licet. Neq; enim, quod tutissimum erat, elegit. Nam cum facilè terga abeuntium cadere posset, à fronte tamen Thebanos inuadit.* Et libro 1. παιδείας, breuiter & neruosè laudat Cyrum Iuniorem. Vt autem in laudibus, ita in vituperationibus maximè modus esse debet, quia, vt antè monuimus, scriptor rerum Græcarum, ne quidē mouere hominum affectus debet, multò minus orationem ad id aptare, aut calamitates mortalium probrose insectari; quod Tragici faciunt, in audientium animis ad spem, metum, sollicitudinem, aut alium affectum traducendis; vt meritò Diodorus Siculus Timæum perstringat, eumque propter crebras ac longas ἐπιτιμήσεις, seu reprehensiones, quas suæ historiæ infarsit, pro Timæo, *Epitimæum*, id est, obtrectatorem vocitatum scribat. Culpatur eo nomine & Philarchus, qui dum nititur ostendere Antigoni & Macedo-

num, Arati etiam & Achæorum crudelitatem, refert mulierum amplexus mutuos, crines passos, papillas nudatas; virorum & fœminarum gemitus atque vlulatus, paruos liberos & confectos ætate parentes circa se trahentium; hoc agens vt animum Lectoris oratorio more commoueat.

Vnde fluit etiam illa proprietas, quod Historicus non facilè debeat suum iudicium interponere, quia facilè fieri potuit, vt vnam circumstantiam ignoraret; iudicium autem de singularibus pendet ab omnibus circumstantiis, sic vt vna ignorata, totius facti ignoretur: neque etiam idem vbique decorum est, sed variat decorum pro ratione locorum.

Quod etsi neget Patricius lib. 6. de Regno, Tit.23. tamen affirmant præstantes viri, vt Vlpianus, *l. iniuriarum.* 15. §. *idem. ff. de iniuriis.* & Æmilius Probus in principio lib. de viris Imperatorum. Non sunt eadem omnibus honesta atque turpia, sed omnia maiorum institutis iudicantur. Vnde etiam hæc, tanquam singularis virtus prædicatur in Thucydide: nam is exul, nullo erga Athenienses malo iudicio scripta sua aspersit, nunquam de autoribus exilii sui, Cleone & Brasida, malè dicit: Hyperbolum lib. 8. appellat hominem nefarium, sed amplius nihil addit; patriæ suæ hostes Lacedæmones, ne verbo quidem læsit, ita vt singularem animi ad historiam nati integritatem expresserit. Contra Machiauellus in Castrutium Florentinæ Reip. hostem ita insurgit, vt eius vitam lasciuè & commentitiè contra veritatem descripserit. Ita hodie ob religionis controuersias, acerbæ scribun-

ſcribuntur narrationes, ac valde mendaces, vt apparet ex turpi libro quem Hieronymus Bolſecus medicus Lugdunenſis ſcripſit de Vita Caluini. Item ex libro Feliciani Niguardi, quem ſcripſit de Anna Burgenſi; nimirum naturâ comparatum eſt, vt omnium animi, in vnam religionem propendeant, eiuſque aduerſarios ingenti odio proſequantur. Sed plerunque euenit, quod Medicis, qui aliorum temperamenta ſollicitè inquirunt, cum ſuum ipſius ignorent; id quod ſuo exemplo docuit magnæ ille naturæ Magiſter, Galenus, *lib. de cognoſcendis & curandis animi morbis. Ego*, inquit, *cuius ſum temperamenti non facilè dixerim : nam ſe ipſum cognoſcere, vel maturæ ætatis viro difficile eſt.* Ita plerunque acerrimi religionis ſuæ propugnatores, ipſam religionem neſciunt, & ne propterea arguantur, ignotam vehementer propugnant. Ludouicus Viues lib. 6. de Tradendis diſcip. reprehendit Cominæum, quod ſæpius ab Hiſtoria propoſita euagetur, deque principum moribus ac virtutibus diſputet ac iudicet. Cominæum tamen defendit Bodinus p. 47. methodi Hiſtoriæ.

Eſt & alia proprietas imprimis memorabilis, quod narratio ſingularium, ſiue Hiſtoriæ magis ſit Logicum opus, quam Rhetoricum, & quod idcirco ſicut Logicus, non amplificat neque exaggerat, neque prolixas orationes curat; ita nec Hiſtoricus debeat eſſe deditus amplificationibus, exaggerationibus, & ſimilibus aliis Rhetoriciſmis.

Bodinus cap. 4. Methodi Hiſtoriæ pluribus

differit in hanc sententiam, quamuis videatur inclinare, quod liceat Historico Rhetoricari; idque propter exempla magnorũ Historicorum, nempe Taciti, Procopii, Liuii; de quibus Seneca in libro Suasoriarum, cap. 6. *Quoties*, inquit, *magni alicuius mors ab Historicis narrata est, toties ferè totius vitæ consummatio, & quasi funebris laudatio redditur.* Id quod semel atq; iterum etiam factum est à Thucydide, rarius à Salustio. Sequentes autem Historici multò id effusius fecerunt. Et putat quidẽ Seneca id postulare virtutis amorem, vt decẽti commendatione alios, ad paria studia prouocemus. Sed non debet confundi orator cũ Historico; neque valet ista nõnullorum Polit. obiectio, qui inquiunt: Salus Reip. postulat, vt præclaros reges & principes prolixe laudemus in historiis; tyrannos autem vituperemus, cum constet, tyrannos nihil tam extimescere, quam contumeliosa scripta, vt, quamdiu viuũt, sentiant infamiæ futuræ cruciatus; de quo conqueritur Tiberius admodũ acerbè apud Suetoniũ: & fuse admodum differit Bodinus lib. 2. de Rep. cap. 4. Neque me mouet autoritas Polybii, qui propterea perstringit Philarchũ lib. 2. quod potissimè in Historiis laudem egregiarum rerum turpiter prætermittat. Ipsa narratio vera factorum satis superque, prudenti Lectori laudabit aut vituperabit factorum autores.

Hinc alia proprietas emanat, quod Historicus non debeat nimis multas sententias generales inserere Historiæ suæ, aut attexere Epiphonemata; quia sententiæ pertinent ad amplificationem:

nem: Epiphonemata autem partim ad amplificationem, partim ad figuras Rhetoricas.

Vide egregiam admonitionem de hac re in Epistola Robortelli, præfixa Historiæ Polonicæ Crameri. Ego quidem neminem legi, qui magis ineptiat in hac parte, quam Varseuicius in Paralelis suis.

Prolixæ conciones & orationes etiam non admisceantur; eas intelligo, quæ tribuuntur personis, quarum facta narrantur, multo minus autem conuenit vt eæ orationes fingantur.

Quia enim, vt ante docuimus, Historica narratio magis est Logicum quid, quam Rhetoricum: orationes vero prolixæ, & conciones ad Rhetor. pertineant, ideo non vsque adeo congruunt Historiis. Sane Historici id in more habent, vt magnorum virorum orationes scriptis suis inspergant, etiamsi ab iis, quibus tribuuntur, nunquam habitæ fuerint, vt sunt Orationes Annibalis & Scipionis apud Liuium, decade 3. lib. 10. Et idcirco Antonius Viperanus lib. de scribenda Historia c. 5. ostendit, solius oratoris esse Historiam scribere, cum præter illum nemo sit, qui ornatius & cōmodius istiusmodi conciones possit interponere. Et Cicero in Bruto: *Rhetoribus*, inquit, *etiam in Historiis mentiri concessum est*, nempe quoad fingendas orationes. Hinc videmus, multū sibi sumere & indulgere Historicos; inter quos imprimis est Procopius, qui tamen cum multa secreta aperiat, tanquam indiuiduus comes, aut consiliarius Belisarii, idcirco verisimile est ipsum militares conciones, quas recitat, plerasque audiuisse ex ore

dicentium; ſicut & docti viri in Procopio hoc laudant, quod Romanorum & Barbarorum conciones notabili verborum varietate, atque ſententiarum grauitate diſtinguit, vt non leuis ſit cõiectura, eum ipſiſſima verba autorum retinuiſſe. Quod idem etiam præſtitit laudatiſſimus Hiſtoricus Guicciardinus, & in plerisque Sleidanus, & Mainerus. Quod ſi ita fiat, iam Hiſtoricus non agit Rhetorem, ſed recenſet orationem Hiſtoriæ ab aliis habitam. Interim quis teſtatò confirmabit, vetuſtos illos homines in eum modum diſſeruiſſe; illud quidem diffiteri non licet, inquit Gabriel Palæottus lib. de Sacri Conſiſtorii conſultation. quæſt. 3. orationes non omninò quales hodie leguntur à Senatoribus recitatas, ſed ſcriptorum induſtria & facundia in eam quam videmus formam, redactas eſſe. Quod idem diſerte fatetur Suidas, & Diodorus Siculus in præfat. lib. 20. Et de Liuio quidem dubiũ non eſt, quin plærasque narrationes hiſtoriæ ſuæ inſertas, ipſe finxerit, ſicut ante meminimus. Et Iuſtinus lib. 38. ſcribit, quod Trogus in Liuio & Saluſtio hoc reprehenderit, quod multas fictas orationes operi ſuo inſerẽdo Hiſtoriç modum exceſſerit. Quamuis multi in eo velint defendere Liuium. Iouius autem à plærisque improbatur, quod nimis ſibi indulgeat in fingendis eiuſmodi concionibus, & quidem ſæpe talium argum. quæ cum ſecretiſſima fuerint, non ita facilè propalata ſunt. E.g. Secretiſſima fuerunt, de quibus Solimannus Turcarum Imperator cõſultauit cum Habraimo Baſſa: *An bello potius perſequendi ſint Perſæ, quam Chriſtiani*, vt mirum ſit, cuius auis inditio lib. 33. Hiſtoria-

ſtoriarum prolixam Habraimi concionem, Iouius acceperit & collegerit.

Eadem de cauſa etiam diplomata, documenta, contractus & receſſus, vt vocantur, integrè de verbo ad verbum nō ita videntur inſerendi eſſe Hiſtoricis narrationibus; ſed ſuffecerit ſummam eorum breuiter recitaſſe, & interdum verba formalia illa, in quibus eſt magnum momentum.

Non leue eſt dubium, neque ab vllo quod memini tactum, de diplomatibus & receſſib. vtrum de verbo ad verbum ſint inſerendi Hiſtoriæ. Ego exiſtimarem, hoc ſuperuacaneum eſſe, niſi fortè circumſtantia aliqua adſit ſingularis, quæ id omninò poſtulet. Aliàs enim documenta talia producere magis eſt iuridicum, quam Hiſtoricum; & quia Hiſtoriæ noſtræ exteris ſcribuntur, exteri vero noſtra diplomata de verbo ad verbum noſſe non cupiunt; ideo ſufficit illa exemplaria de verbo ad verbum ſcripta, manere in archiuis, nec publice recitari in Hiſtoria; in quo quidem non leuiter peccauit multorum iudicio in Hiſtoria Boruſſiæ Caſpar Schutzius, qui ſuo Chronico Boruſſico inſeruit diplomata receſſus de verbo ad verbum.

Hiſtoria, quantum fieri poteſt, Logicâ Methodo & ordine contexenda eſt: ſecundum præcepta, quæ Logicus tradit de Thematum indiuidualium tractatione.

Nonnulli, inter quos eſt Beurerus in Synopſi

Historiarum, Aph. 5. docent Historiæ formam esse rerum singularium veritatem, cum nostra notitia consentientem: simulque in verbis & sententiis puritatem & simplicitatem, vnde etiam Polybius iubet, nos in Historia μόνῃ τῇ ἀληθείᾳ θύειν, *soli veritati sacra facere*, & veritatem in Historia vnice tanquam deam colere: & alii autores duas leges præscribunt Historico, quas velut eius formam esse dicunt, quarum prima est Parrhesia, id est, libertas loquēdi, ne quid veri non audeat scribere. 2, est ἀλήθεια, i. e. studium veritatis, ne quid falsi audeat dicere; sed nos ista retulimus ad proprietates Historiæ, sicut ex superioribus patet. Si quis autem formam Historiæ aliquam quærere velit, is methodum Logicam potius dicat esse eius formam: summam rerum narrat fama, non ordinem, inquit Plinius, lib. 4. Epist. 11. idoneum ordinem oportet ex arte quærere & parare. Non desunt, qui negarũt vllam methodum dari in Historiis, in quorum numero est Sextus Empiricus, cap. 16. qui quidem suæ opinionis fundamentum speciosum adducit, quod infinita nequeant certo numero colligi. id quod tamen non ita intelligendum est, quasi singula singularia sint infinita, sed quod omnia singularia simul sint infinita. Sin autem vnum aut alterum & tertium singulare sit tractandum, sane non erit infinitum, sed habebit certos & definitos terminos. Quod si vniuersalis aliqua Historia scribenda sit, non planè inutile fuerit Plinii consilium, vt temporum successus attendantur. In particularibus autem procedendum est Logice per causas, subiectum, obiectum, &c. anteced. cons. Nec aliter est procedendum

in diuina

in diuina ſeu Eccleſiaſtica Hiſtoria; quæ etſi ſuam habet materiam diuerſam à naturali & Politica, ſicut monet Euſebius, lib.5.cap.1. Hiſtoriæ Eccleſiaſt. tamen methodus eſt eadem; naturalis Hiſtoria non minus habet certam methodum, vt mirum ſit, quod Ioannes Ruellius affirmat naturalem ordinem eſſe arbitrarium.

Et quia methodice ſcribenda eſt Hiſtoria, ideo breuitas obſeruari debet, & vitari prolixa digreſſiones.

Breuitas eſt neceſſarium requiſitum Methodi, idcircò Hiſtoria, vt Methodũ Logicam, ita quoq; breuitatem habet propriam, atque adeo vitari debet ſuperfluum omne, vt omnes longæ digreſſiones. Idcirco reprehenditur Herodianus, qui libro primo Hiſtoriæ ſuæ inſeruit præſeruatiua peſtis, & carpuntur etiam ſuperflui diſcurſus Othonis Friſingenſis, qui ſunt libro 1. cap. 5. & 53. de geſtis Friderici. Similiter & alii propterea vituperantur: digreſſiones enim ſunt Rhetorum, non Logicorum; quod vtinam notaſſet Martinus Cruſius, vtique non ita præpoſteram nobis reliquiſſet Hiſtoriam Sueuicam, & multis miris digreſſionibus deformatam.

Quia Hiſtoria eſt explicatio quædam Logica; & quia ſimplicitas eſt propria Hiſtoriæ, ideo ſtylus Hiſtoricus non debet eſſe grandis, nec diffuſus aut Aſiaticus, nec nimis ſtrictus, aut Laconicus, ſed Atticus, medii characteris, vt vo-

cant, aptus, ad docendum, & qui animi affectus non nimis concutiat.

Sturmius alicubi inquit: *Rhetoris est ostendere quo stylo Historicus uti debeat, quo alius*; Sed potius dicēdum fuerat, & Logici & Rhetoris esse ostendere, quis stylus sit Historiæ proprius; quatenus enim explicat & docet Historicus, eatenus formam orationis ei Logica præscribit. Interim quia tacite etiam affectus mouetur, ideo parcè interdum quoque ornat Historicus, & hac ratione ei formam orationis præscribit Rhetor. Lud. Viues, lib. 1. de ratione dicendi: vult historicum debere vti angustâ, & concisâ oratione; id quod sic accipere nolim, quasi plane Laconicus esse debeat: hoc enim modo non ita perspicue docebit. Sane illi, qui stylo oratorio vtūtur in Historiis, vt Bembus & alii merito culpātur, quod & facit Lipsius Centur. 2. Epist. 61. Et apud Quintilianū lib. 8. c. 1. Pollio quidā Liuium reprehendit, & illi quandā Patauinitatem inesse dixit. Plinius etiam Secundus in Præfat. ait, Liuium fuisse ambitiosum, sibique magis, quā aliis scripsisse. Sicut quidē multa in eo loca occurrūt, in quibus maluit elegātius, quā integrius scribere, improprius quam verius. E. g. Quādo Censoribus Decemuiris maiestatem attribuit, nihil videl. prætermittens quo sonantia verba contexat: Apud Suetonium, c. 34. Caligula Liuio obiicit verbositatem. Interim Barnabas Brissonius lib. de Formulis Pop. Rom. ita sentit, quod Liuius fidelissimo stylo solennes formulas expresserit. Cæterum propter pompam & solennitatem verborum etiam Thucydides carpitur in

principio

principio lib. 2. Iosephus aduersus Appionem. Et sane ferè omnes grandiloqui scriptores sunt suspecti, tanquam qui animo ad scribendum non videntur ita compositi, vt præter nudam veritatis narrationem nil affectent. Iustinus à multis carpitur, quod non satis considerauerit quid humeri ferant, quidque recusent; interim, meo iudicio, ipsius stylus melior est & accommodatior Historiæ, quam multorum aliorum. Ita stylum Sleidani prætulerim Buchanani, qui Liuium in grandiloquentia imitari voluit. Quam tamen cum ii quos ante citaui, perstringunt, tum etiam Seneca, lib. 2. de Ira, cap. vlt. & lib. 1. de Tranquillitate vitæ, cap. 9. Porro, quia magna est styli varietas in Historicis, & tot fere genera sermonis, quot autores Historiarum, præterea etiam discrepantia admodum iudicia de stylo Historico apud eos, qui de Historia scribenda tractarunt, idcirco libet adhuc paucas quasdam regulas de eo subiicere. Primò quidem, quod ad dictionem, siue vocem Historicam simplicē, deinde quod ad phrasin ipsam & characterem.

De simplicibus vocibus Historicis hæ sint regulæ:

1 *Splendor verborum historicam veritatem parum stabilit.*

2 *Verborum superflua cura plerumque in Historicis parat incuriam rerum.*

3 *Cum de rebus Politicis Historiæ scribuntur, accuratè attendendi sunt termini Politici natiui & proprii eius linguæ in qua Historia scribitur; &, si forte verteda sit Historia in aliam linguam, videndum est, ne præpostero termino vtamur.* Vnde & Græci, quæ suis ver-

bis nequiuerunt apposite exprimere retinuerunt Latina, vt δικτάτωρ, ταβουλάριος, ῥεφερενδάριος; vbi tamen ipsa vox Latina *Referendarius*, etiam barbara est, vt notauit Clarissimus Franciscus Iunius ad Curopalatā; talis vox est δεπούτατος, pro *deputatus*; sic nimirum nomina officiorum, iurisdictionis, solemnitatum, propriè ac signatè exprimat Historicus, neque vllos terminos extra Rempub. illam, de qua scribit, vsitatos vsurpet. In quo quidem excellere iudicantur ii potissimnm, qui ipsi in Magistratu viuunt, aut multa pro Rep. locuti sunt, aut scribi curarunt. Tales enim veram vim Politicorum terminorum potuerunt obseruare, quemadmodum apparet ex Tacito, Suetonio, Salustio, quem Augustinus lib. de vitâ beata, *electissimū verborum pensitatorem* appellat; quamuis Quintilianus lib. 4. cap. 2. dicat sibi Salustianam breuitatem, & abruptum sermonis genus displicere, de quo ante etiam meminimus.

Quod ergo ad voces coniunctas, siue phrasin & characterem dicendi, de eo sunt hæ regulæ:

1 *Floridior quidem stylus veritati historicæ non ita oberit, si non accedat vitiosus aliquis affectus aut affectatio.*

2 *Affectus autem iste aperitur si stylus nimium sit luxuriosus.*

3 *Nimis circumcisa dicendi forma, & quæ obscuritatem non auertit, vim affert historiæ, & cum eius proprietate pugnat.*

4 *Conquisita verborum lenocinia oratoria eminentia, & poëtica verborum accuratio, pugnat cum historica narratione, & fidem eius imminuit.*

De

De quo vide latius Patritium dialogo 1. de Historia.

5 *Medium dicendi genus, quo simplicissima rerum gestarum recensio pertexitur, omnium maxime accommodata est naturæ & scopo Historiæ, cuiusmodi characterem scribendi Jamblicho Philosopho attribuit Eunapius, qui de vitis Philosophorum scripsit. Cicero in Bruto monet, nihil in Historia illustrius esse pura & illustri breuitate; & in 2. de Oratore, magis adhuc sese declarans, monet Historicum debere sectari genus orationis tractum, & cum lenitate quadam æquabili profluens, sine iudiciali asperitate, & sine sententiarum forensium aculeis. Quam sententiam videtur imitatus Doletus in dial. de Imit. Ciceronis, vbi pressum stylum in Historico requirit, ne nimium lector ad ordinem Historicum, quam ad orationis filum arrectus & animaduertens, nimia verborum copia oneretur, neve eius, qui longa & instantia, auidius prosequitur & exspectat, alacritas retardetur. Quam admonitionem vtilem videntur haud obseruare recentes Historici Germani, præsertim autem Sueui & similes, qui nimiâ verborum profusione Lectorem auidum morosè retinent, & magno quodam cum tædio retardant: A quo vitio non ita multum mihi abesse videtur Ioannes Cromerus in historia Poloniæ.*

Et tantum etiam visum fuit monere de stylo Historico, qualis nempe is esse ex natura & proprietate historiæ debeat.

Capvt IV.

De Historiarum siue Historicæ explicationis effectis.

Post proprietates Historiæ breuiter nobis excutienda fuerint effecta. Quæ sunt vel Generalia, vel specialia. Generalia effecta historiæ sunt duplicia, videl. vel principalia, vel minus principalia. Principalia effecta sunt duo, quorum primum est, quod per Historiam rerum singularium, quæ propter infinitudinem suam à memoria humana non possint retineri, vigeat & conseruetur.

De priori fine loquitur Herodotus lib. 1. Historiæ: hæc est facultas & demonstratio, ne ea, quæ in mundo gesta sunt, ex hominum memoria cum tempore exsolescant, aut magna & admirabilia facta in obscuro lateant. Et Cicero 2. de Oratore ad hunc effectum respiciens, Historiam appellat *testem temporum, vitam memoriæ, nuntiam vetustatis.* nempe historias condimus vt antiquitatum recordatio conseruetur, sicut grauiter monet Iohannes Touinus Anglus, lib. 1. & Paulus Corbesius, lib. 2. cap. 5. Hinc Plato in Timæo, & Iustinus Martyr in exhortatorio ad gentes testantur, Ægyptios per contumeliam *Pueros* vocasse eos, qui priscarum historiarum ignari essent; quia nempe tales pueriliter sapiunt, & quia non obseruant ea exempla quæ ad prudentiam faciunt; ideo nec prudentiam omnis ætatis perfectricem vnquam acquirunt.

Polybius

Polybius egregie inquit lib. 3. histor. Præteritæ res optima rerum gerendarum documenta sunt, dum facile nobis ostendunt vniuscuiusque rationes, cõsilia, machinas, quid nobis gratiam, opem, beneficium parere possit, quid quemque aduersus nos mouere, quid ad misericordiam, quid ad indignationem, quid ad æquitatem impellere, quæ omnia & publicè & priuatim plurimum in vita mortalium momenti habent.

Alter effectus generalis principalis est, quod ex singularibus historiæ exemplis, vniuersalia disciplinarum præcepta, theoremata & Canones constituantur, eaque præcepta iterum exemplis ex historia petitis, demonstrentur & illustrētur.

De quo effectu monet præclare Nazianzenus in sacro quodam poëmate, vbi Historiam appellat συμφέρτην σοφίαν πολλῶν καὶ πάντων νόον, *Congestam & accumulatam sapientiam in multorum, imò omnium animis*; ita vt non satis intelligam quid sibi velit Albericus Gentilis, quodam in loco scribens, *parũ vtilitatis ex Historia redundare ad reliquas disciplinas*. Sane vniuersitatis Theatrum vere dici potest Historia, propterea quod omnium rerum vniuersalium exempla, in iis contineantur.

Effectus generalis minus principalis est tum voluptas, tum delectatio, tum ornamentum.

Voluptas & delectatio inæstimabilis ex Historia capietur, propter duplicem causam. 1, quod singularia sint viciniora sensibus humanis, & propterea à quouis facilè intelligantur; cum contrà vniuersalia non intelligantur nisi ab eruditis & diu institutis. Altera causa est varietas summa,

quę in Historiis occurrit, vt ipsa exspectatio euentuum rapit animum Lectoris, & tantâ dulcedine delinit, vt à lectione desistere vix queat. Quæ etiam causa est, cur multi illotis manibus pedibusque proruant ad historias legendas, neglectis iis disciplinis quæ necessariò erant prius discendæ, antequam ad historiarum lectionem accedamus.

Alter effectus minus principalis est ornamentum.

Valde enim ornat hominem, tam iuuenem quam senem, magnamque ei apud omnes admirationem conciliat, si multarum historiarum peritus habeatur: idque propter duas causas; 1, quia historiarum peritia est signum felicis memorię & multæ lectionis, & multæ obseruationis: vnde oritur æstimatio prudentiæ; quod nempe illi, qui multas historias norunt, iudicentur eo ipso prudentes. Altera causa est, quia homines vel non sumunt sibi otium ad legendos libros historicos, vel non norunt, vbi historias egregias quærere debeant; ideò si audiant alium multas historias recitantem, amant eum, & mirantur; idque in primis propterea, quia sentiunt se magna quadā voluptate perfundi ex illa Historiarū recitatione.

Specialia effecta partim sunt ad Theoreticas disciplinas, partim ad Practicas. Ad Theoreticas disciplinas, vt ad Physicam & Mathemat. nam Metaphysicæ non ita prodest Historia.

Practicæ disciplinæ sunt vel prudentiæ, vel artes.

Pruden-

Prudentia est vel religiosa, vel moralis.

Ad prudentiam religiosam inprimis cõducit Historia, teste Spiritu sancto, qui per Prophetas & Apostolos, vt plurimum historicè docuit Ecclesiam; & sane ipsa principia Theologiæ sacræ posita sunt in historia primorum parentum, in historia Christi & similibus; ita vt verè historia dici possit, Speculum clarissimum diuinæ prouidentiæ & operum Dei.

Prudentia moralis est vel Ethica, vel Oeconomica, vel Politica, ad quas prudentias, tum in communi confert Historia, tum in specie.

In communi dupliciter: primo, proponendo exempla honestatis, seu virtutis moralis. & per ea alliciendo, ad imitationem; exempla etiam præmiorum & pœnarum ex virtute seruata aut violata. 2, per exempla prudentiæ & cautionis ac circumspectionis, item, acutorum & promptorum consiliorum in rebus arduis. Stratagematum itidem & artificiorum certorum, quibus opus est ad prudentiam comparandam.

Et hoc est quod Liuius grauiter inquit: *Hoc illud præcipue agit in rerum cognitione salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri; vnde tibi, tuæque Reip. quod imiteris, capias; vnde fœdum inceptu, fœdum exitu quod vites.* Et Polybius lib. 1. Historiarum inquit: *Institutio Historiæ paratissima correctio atq; emendatio, est verissima disciplina & exercitatio, & ea experiẽtia qua*

ex historiis à nobis comparatur, beneficentissima est, & sola magistra. Idem autor historiam vocat μεγίστην ἐπικουρίαν κοινῇ καὶ ἰδίᾳ, *maximam hominum auxiliatricē & publicè & priuatim.* Lucianus lib. de scribēda Historia, dicit Historiam suppeditare, vt optima dicamus & faciamus, quæ possimus æmulatione optimorum, & fuga pessimorum. Plutarchus de præstanti duce Philopœmene refert, quod præter Euargeti libris de ordinibus militaribus, res Alexandri peruolutarit, non vt de iis in conuiuio sermones cæderet, sed vt in deliberationibus & actionibus suis iis vteretur. *Etenim,* inquit, *quocunque se conuertit, singula obseruauit & studiosè deprehendit; ac in profectionibus locorum editorum cauitates, camporū intercapedines, tū quæ agmini propter riuos, fossas, aut angustias itinerum diuulso, aut in arctum contracto accidere possent, inspicit, atque perpendit & cum comitibus ea de re disputauit,* &c. Dionys. Halicarnasseus lib. de Antiquitate Romana, Historiam dicit esse ἀρχὴν φρονήσεως καὶ σοφίας. Thucydides lib. 1. belli Peloponnesiaci, Historiam vocat *Thesaurum perpetuum exemplorum & expressam imaginem, & quasi speculum humanæ vitæ, ad omnia mundi tempora congruens, cum humanos casus proponat, qui velut in orbem sui similes aliquando redeunt, cum non res, sed personæ, homines, loca & tempora saltem notentur.* Idcirco addit lib. 3. *donec durabit eadem rerum natura, similia multa fieri necesse est.* Strabo dicit, Commentarios historicorum vtiles esse ad Ethicam & Politicam. In Ephesiorum quoq; libris ac legibus rectè vtiliterque præcipitur, recordari quotidie veterum alicuius, qui cum virtute, id est, honeste & laudabiliter vixisset συνεχῶς

ὑπομνή-

ὑπομνήσεσθαί τινος τῇ ἀρετῇ χρωμένων. Et Zeno Citienſis Philoſophus ſapiens, vt Suidas cum Laertio memoriæ prodiderunt, cum honeſtè viuere cuperet, & quâ id ratione ab oraculo pro more & conſuetudine eius ætatis de illo erudiri cuperet, iuſſus etiam ipſe eſt mortuos conſulere, quod eſt, veterum ſapientum libros legere, & mortuis hac ratione concolor fieri. συγχρωτίζεσθαι τοῖς νεκροῖς. Et notabilis eſt ſententia Agathiæ hiſt. qui inquit: Non facilè fuerit explicare aut enumerare quot bonis hiſtoria humanam impleat vitam: Equidem vt ſummatim dicam: Ciuili Philoſophia haud longe inferiorem duxerim, & fortè plus adhuc conducit: ſiquidem hæc ipſa haud ſecus ac domina, iubet & conſtituit, quibuſnam ſit inhærendum; quæve fugienda. Dum virtutem collocat in excelſo loco & exemplorum varietate, quæ narrantur, excolit. Similia in hanc mentem grauiter ſcripſit Diodorus Siculus in procemio Bibliothecæ ſuæ, &c. Et Iohannes Hartungus vir quondam in ſuperiori Germania clarus, Hiſtoriam vocauit *craſſam & popularem Philoſophiam*; *Philoſophiam vero ſubtilem & exquiſitam hiſtoriam*. Nimirum hiſtoria exemplis tam bonorũ quam malorũ propoſitis nos docet, quid Deo imprimis, quid nobis ipſis, quid omnibus aliis pro noſtro virili præſtandum ſit, atque adeò quaſi manu ducit ad illud Platonis monitum: Cum velut obſidione nos cingant omnis generis mala, decet nos Deo quodãmodo ſimiles fieri. Sane vt in corporibus noſtris arteriæ & venæ συναστομῶνται, prout Galeno loquitur, i. minutis orificiis oriuntur, vt ſpiritus ſanguinem, quo aluntur foueant, ne putreſcat: ſic

Philosophia Practica & Historia amicè conspirant, dum illa tradit præcepta, hæc exempla; vt verissime cum Poeta concludere huius aphorismi commentarium possimus;

Hæc tibi virtutum stimulos, hæc semina laudis,
Hæc exempla dabit.

Porrò quod ad consiliorum inuentionem attinet, legi neminem, qui luculentius ostenderit, quantum ad eam Historiarum lectionem conducat, quam *Andreas Franckenbergerus* in Institutionibus antiquitatis, ideo non tædebit huc integrum eius locum adscribere pag. 290. & sequent. In consiliis autem capiendis magnam obiici difficultatem, singuli, qui in magistratu sunt, quotidie experiuntur, vt idem Plato in Theage non immerito συμβουλὴν εἶναι ἱερὸν χρῆμα, scriptum nobis reliquerit. Etenim quod constat inter omnes, sapientissimorum virorum multiplices occurrunt deliberationum offensiones, ac nemo est tam lynceus, qui nihil impingat, aut nusquam incurrat. Excelluit Demosthenes tanta sapientiâ & eloquentiâ, quanta in hominem cadere potest, adeò vt tandem ei populus Atheniensis dignos meritis honores reddiderit, non tantum æreâ statuâ positâ, verum etiam facto decreto, vt qui ex stirpe eius natu esset maximus, publice in Prytaneo aleretur. At vero idem orator non improbitate mentis, sed errore Macedones attraxit. Nam dum quadam κακοζηλίᾳ Themistoclis consilium felix imitari voluit: & Græciam obiens, colloquendo & instigando, paucis exceptis, omnes populos ad conspirandum aduersus Philippum permouit, inflammans in ipsis honestæ laudis &

libertatis

libertatis cupiditatem: reliquis hominum cogitationibus tenebras de periculis & cladibus secuturis offudit. Neque enim eo tempore ille fuit status Græciæ & Athenarum: non ea mens, ardor & consensio, quæ erat tempore Themistoclis, cum nimirum viribus coniunctis robur commune in hostem communem conuerterunt. Erant prȩterea multi Atheniensium, hospites regis, & clam partes Macedonicas fouebant. Hæc igitur, quia non circumspexit, patriam non malitiâ, sed prauâ consilii Themistoclei imitatione in maximum discrimen coniecit. Quanquam in oratione pro Ctesiphonte se purgat atque excusat, vt si non ipsum factum, attamen voluntatem illius defendere necesse sit; quandoquidem confirmat, hoc fulmen & hanc tempestatem non tantum ciuitatis Atticæ, sed vniuersæ Græciæ potẽtiam & fortunam superasse, perinde ac si magister nauis, etiamsi omnia ad conseruandam nauim profutura fecerit, nihilominus ruptis funibus & fractis remis, tempestate opprimatur. Sed quia in plerisque Demostheni, Cicero, consensu vetustatis, par esse censetur, quod ambo de obscuris, magni clarique euaserint, reges & tyrannos offenderint, filias amiserint, in exilium acti, denuo in patriam splendidè redierint, tandemque rursus aufugerint, in manus hostium inciderint, & vnà cum publica libertate perierint: ita hic quoque res suas præclare gestas malè imitatus, existimauit se eâdem celeritate Antonium & Antonianos oppressurum esse, quâ Catilinam in consulatu, & ante huius mortem fœdam, complices illius oppresserat. Cumque errores

ſint fœcundi, & alius ex alio naſcatur, non minus impegit & hallucinatus eſt, quod Octauium, vel Iunonium iſtum puerum tantis laudibus ornauit, id quod ei M. Brutus, in Epiſtolis obiicit: & ipſe ad Octauium ſcribens grauiſſime deplorat. Peccauit quoque Aratus Sicyonius, Achæorum potentiſſimus, quod Macedones attraxit, præſidiis Macedonicis barbariem in Græciam inuexit, & Acrocorinthum Illyricis & Gallicis armis impleuit: eosque quos ipſe artibus ſuis oppugnaſſet, & in commentariis crebris conuiciis laceraſſet, iam ſub honeſto ſociorum nomine dominos ciuitatibus impoſuit. Vt autem tales aberrationes in cõſultationibus vitentur, aut in illis non perſeueretur, pertinaciam Periclis in Thucydide: fiduciam virium humanarum Crœſi & Xerxis in Herodoto: πολυπραγμοσύνην Alcibiadis in Thucydide, & Plutarchi Parallelis: κακοζηλίαν Demoſthenis in Demoſthene & Plutarcho: temeritatem Terentii Varronis & Minutii Magiſtri equitum, ſimilia delicta vitemus: & perturbationes inordinatas, quæ cum ſapientia commiſceri non debent, in gyrum rationis & mentis indies magis magisque ducere aſſueſcamus. Neq; enim aliunde horum morborum, ſalubriorem, quam ex hiſtoria medicinam petere liceat: cuius monumenta in excelſo & illuſtri loco poſita, magis percellunt animos, atque mouent, quã nuda & ſimplicia præcepta, ac commonefactiones proficere ſolent. Etenim cum iuxta Polybium, duo hominibus modi ſint propoſiti, quibus corrigi & emendari queant, vnus ob ſuam cuiuſque calamitatem, alter ob alienæ calamitatis exemplum, abſque omni dubio

bio primum efficax quidem magis eſt, verum non ſine detrimento eius cui accidit. Secundus vero, etſi non habet in ſe tantum virium, tamen ob eam cauſam præſtat, quod omnis damni eſt expers. Quâ ratione fit, vt priorem quidem nemo ſit, qui ſponte eligat, quandoquidem abſque dolore & periculo accidere nemini poteſt. Hunc vero ſemper venari & amplecti conuenit, quod per eum ſine aliquo ſuo detrimento id quod melius eſt, cernere vnicuique liceat. Quod autem ex præteritis conſilia ſalutaria quis capere poſſit, experientia quotidiana in aulis monarcharum, regum & principum ſatis notum ac manifeſtũ reddit: & viri ſummi apud antiquitatem ſuâ autoritate confirmant. Quapropter ſicuti in iudicio forenſi pondus habent teſtimonia: ita in præſenti cauſa ardua & ſublimi, teſtes non leues, ſed grauiſſimos quoſque in medium producamus, qui nequaquam in contemptionem rapi poſſunt. Inter hos autem Thucydides principem tenet locum, qui libro primo verbis lectiſſimis ac plenum quiddam ſonantibus, ita nos docet: Ἐς μὲν ἀκρόασιν ἴσως τὸ μὴ μυθῶδες αὐτῶν ἀτερπέστερον φανεῖται. ὅσοι δὲ βουλήσονται τῶν τε γενομένων. τὸ σαφὲς σκοπεῖν, καὶ τῶν μελλόντων ποτὲ αὖθις κατὰ τὸ ἀνθρώπινον, τοιούτων καὶ παραπλησίων ἔσεσθαι, ὠφέλιμα κρίνειν, αὐτὰ ἀρκούντως ἕξει. κτῆμά τε ἐς ἀεὶ μᾶλλον, ἢ ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν ξύγκειται: *Ad aurium oblectationem, hæc noſtra, non aſperſa fabulis, minus fortaſſe iucunda videbuntur, ſed qui rerum certitudinem conſiderare volunt, & de futuris negotiis, quæ vt ſunt res humanæ, aliquando vel talia, vel ſimilia accipere poſſunt, quid ex vſu ſit, vtiliter iudicare, his hæc hiſtoria abunde ſufficiet.* Conſcribitur enim, vt ſit theſaurus potius ad omnem poſteritatem, quam lu-

do-
Si-
lus.

dicrum quoddam, quod ad præsens tantum tempus aures demulceantur. Diodorus autem Siculus, autor cumprimis bonus, qui ex testimonio Iustini Martyris annos triginta Europam atq; Asiam lustrauit, & suis pleraque contẽplatus est oculis, in operis sui principio inquit: Τοῖς τὰς κοινὰς ἱστορίας πραγματευσαμένοις μεγάλας χάριτας ἀπονέμειν δίκαιον πάντας ἀνθρώπους, ὅτι τοῖς ἰδίοις πόνοις ὠφελῆσαι τὸν κοινὸν βίον ἐφιλοτιμήθησαν. ἀκίνδυνον γὰρ διδασκαλίαν τοῦ συμφέροντος εἰσηγησάμενοι, καλλίστην ἐμπειρίαν διὰ τῆς πραγματείας ταύτης περιποιοῦσι τοῖς ἀναγινώσκουσιν. ἡ μὲν γὰρ ἐκ τῆς πείρας ἑκάστου μάθησις μετὰ πολλῶν πόνων καὶ κινδύνων ποιεῖ τῶν χρησίμων ἕκαστα διαγινώσκειν (καὶ διὰ τοῦτο τῶν ἡρώων ὁ πολυπειρότατος μετὰ μεγάλων ἀτυχημάτων, πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω) ἡ δὲ διὰ τῆς ἱστορίας περιγινομένη σύνεσις τῶν ἀλλοτρίων ἀποτευγμάτων τε καὶ κατορθωμάτων ἀπείρατον κακῶν ἔχει διδασκαλίαν: *Magnas merito gratias rerum scriptoribus homines debent, qui suo labore plurimum vitæ mortalium profuere. Ostendunt enim legentibus, præteritorum exemplis, quid nobis appetendum sit, quidve fugiendum. Nam qui multarum experimenta rerum, variis cum laboribus, periculisque, procul ipsi ab omni discrimine gesta legimus, nos admonent maxime, quid conferat ad degendam vitam. Ideoque heroum sapientissimus est habitus is, qui sæpius aduersam fortunam expertus, multorum vrbes ac mores cognouit. Cognitio verò ex aliorum tum secundis, tum aduersis rebus percepta, doctrinam habet omnium periculorum expertem.* Et paulò post: Τοὺς πρεσβυτέρους ταῖς ἡλικίαις ἅπαντες τῶν νεωτέρων προκρίνουσιν ἐν ταῖς συμβουλίαις, διὰ τὴν ἐκ τοῦ χρόνου περιγεγενημένην αὐτοῖς ἐμπειρίαν, ἧς τοσοῦτον ὑπερέχειν συμβέβηκε τὴν ἐκ τῆς ἱστορίας μάθησιν, ὅσον καὶ τῷ πλήθει τῶν πραγμάτων προτεροῦσαν αὐτὴν ἐπιγινώσκομεν. διὸ καὶ πρὸς ἁπάσας τὰς τοῦ βίου περιστάσεις χρησιμωτάτην ἄν τις εἶναι νομίσειε τὴν ταύτης ἀνάληψιν. τοῖς μὲν γὰρ νεωτέροις τὴν τῶν γεγηρακότων περιποιεῖ σύνεσιν, τοῖς δὲ πρεσβυτέροις πολλαπλασιάζει τὴν ὑπάρχουσαν ἐμπειρίαν. καὶ τοὺς μὲν ἰδιώτας ἀξίους

ἡγεμονίας

ἡγεμονίας κατασκευάζει, τοὺς δὲ ἡγεμόνας τ῀ διὰ τ῀ δόξης ἀθανα-
τισμῷ προτρέπεται τοῖς καλλίστοις τῶν ἔργων ἐπιχειρεῖν: *Seniorum consilia, quos longa ætas prudẽtiores effecit, laudantur à iunioribus. At hos tantò antecellit historia, quanto plura exempla rerum complectitur diuturnitas temporis, quàm hominis ætas. Itaq; ad vitæ institutionem, vtilissima historia censendum est, tum iunioribus, quos lectio diuersarum rerum senioribus æqua prudentia: tum vero ætate maturis, quibus diuturna vita rerum experimenta subministrauit. Adde, quod priuatos viros imperio dignos efficit, imperatores ob immortalem gloriam ad præclara facinora impellit.* Hinc patet & luce meridiana clarius est, quòd quicunq; in monarchiis, regnis, politiis Aristocraticis & Democraticis patriæ, tanquã communi parenti, consilia salutaria communicarunt, non solum ipsi ex iuris & historiæ schola tanquam ex equo Troiano prodierint; verum etiam sapientiam eorundem in vtriusque officina natam & educatã esse, nemo in dubium vocauerit. Atq; illi præ Apolline Pythio gloriari possunt, se esse eos, vnde sui ciues rerum suarum incerti opem petant, quosq; in miserrimis & turbidissimis tẽporibus consilii compotes dimittere possint. Etiamsi enim personæ subinde mutãtur; tamen ea, quæ pro temporum cursu geruntur, admirabili quadam constantia & vicissitudine negotiorũ recurrere solent. Sed hæc vt sint euidentiora, vnum atq; alterum exemplum consiliorum historicorum in causis grauissimis deligemus. Ac primum quidem habitâ ratione methodi, in Actis Apostolorum cap. 5. obuium est Gamalielis consilium, qui suadet, si doctrina discipulorum Christi diuina non sit, breui interituram esse at-

que id exemplis confirmat. Etenim prius Theudas quidam multitudinem, præstigiis deceptam, ad Iordanem eduxerat, prolixe promittens, se flumine diuiso pedibus eam traducturum esse, qui tamen immissis equitum turmis, & multitudine dispersa ac dissipata à Cuspio Fado, præside Iudææ, captus & occisus est. Postea vero Iudas Gaulanites tempore descriptionis exortus, adiuncto sibi Pharisæo Zadduco populũ ad defectionem sollicitauit, dictitans, *censum nihil esse aliud, quam manifestam seruitutis professionem*. Cohortatus est itaque vniuersam gentem ad libertatem defendendam ac tuendam, confirmauitque futurum esse, vt non solum fortunis suis feliciter fruantur, verum etiam laudem fortitudinis sibi comparent. Quanquam autem hæc pronis vulgi auribus accepta sunt; tamen audaciæ suæ & furoris pœnas dederunt, & infinitæ calamitates secutæ sunt. Et hoc euentu Gamaliel concludit, *si doctrina Apostolorum ab hominibus proficiscatur, breui dissolutam iri: sin à Deo existat, dissolui non posse*. Præterea fuit regnum Ægypti omnium aliorum, cum propter artes, tum propter diuitias longe florentissimum. Cum autem Alexander Magnus, tempore Darii, vltimi Persarum regis, in Ægyptum contenderet, Mazaces Ægypti Satrapa à Dario constitutus, de pugna apud Issum, deque turpi fuga domini sui certior redditus, maluit, quod dici solet, orientem quam occidẽtem solem adorare. Quapropter Alexandrum in prouinciam atque vrbes amicè recepit, qui deinceps ad constituendam regionis administrationem se conuertens, duos Nomarchas illi præfecit, inter quos

vniuersam

vniuersam terram distribuit. Quanquam Petise imperium detrectante, Doloaspis totam prouinciam suscepit. Postea delegit Phrurarchos, seu præsidiorum principes ex amicis: atque exteris militibus Lycidam Æolum præfecit, quibus scribam Eugnostum Xenophanti filium adiunxit. Denique Episcopos duos, Æschylum & Ephippum Chalcedonem addidit. Causa vero, quæ Alexandrum Magnum impulit, vt regnum in plures præsides partiretur, fuit hæc potissimum: ὅτι οὐκ ἀσφαλὲς αὐτῷ ἐφαίνετο ἑνὶ ἐπιτρέψαι ἀρχὴν Αἰγύπτου πάσης: quod naturam regionis admiratus & munimenta, nõ tutũ ratus est, vniuersam gubernationẽ vni committere. Hoc consilium ex rebus gestis Alexandri petitum, quodque ex historiæ schola profluxit & promanauit, Romanos longo post tempore in Ægypto retinenda, tuenda & gubernanda, imitatos esse, insignis historicus Arrianus Nicomediensis, cui nec patriæ, nec generis, nec honorum ornamenta defuerunt, diligenter consignauit. Sed consilium vetustius extat in Talia Herodoti, dulcis & candidi historici, vbi post mortem Cambysis, filii Cyri, instauratoris Monarchiæ Persicæ, tres principes, Otanes, Megabyzus & Darius Hystaspis ex anteactis de optima gubernationis forma deliberant. Nã dum primus multitudinis dominationem & ἰσονομίαν, id est, iuris æquabilitatem suadet, & monarchiam dissuadet, ex historia Cambysis & Magi exempla probationis adducit, qui eô licentiæ & violentiæ processerant, vt omnia pro libidine atque impune agere viderentur. Facit quoque testatum à Cambysis persona, quod tyrannus optimis quibusque, qui

superstites sunt, atque viuunt, inuideat; deterrimis delectetur; & criminationes admittere optimum esse putet. Deinde, quod offendatur, si quis eum modeste & non effuse admiretur; vel, si effusè idem facias, offendetur, quasi assenteris. Et hac narratione factorum tyrannicorum; & ex aliis, quæ fieri consueuerunt, quando in ἰσονομίᾳ magistratus sorte deliguntur, & administratorum rationem reddere coguntur, consilium suum extruxit. Megabyzus autem, vt ad rem Oligarchiam traducat, confirmat quidem ex præteritis, quæ de abolenda tyrannide Otanes dixerat, sed ex historia & quotidiana experientia refert, populari multitudine nihil esse neque insipientius, neque insolentius. Præterea, inquit, tyrannos si quid faciant, intelligentes facere: at plebi suum esse nihil intelligere, quod neque sit edocta, neque honestum norit, ne domesticum quidem: & ad res gerendas sine consilio præceps, torrenti flumini similis ruat. Itaq; ex iis, quæ multis ætatibus acciderant, si rerum summa ad populum deuoluatur, de statu optimatum suscipiendo concludit, quod ex optimis optima consilia existere credibile sit. Darius ex eadē doctrina huius professionis, cum statum popularem, tum oligarchicum reiicit. Monarchiam autem amplectendam esse, probat ex rebus gestis Cyri, vnde libertas regno Persico extiterat, ne patriæ leges, bene conditæ hac sententiarum varietate ac discrepantia dissoluantur. Quapropter cum omnes ex præteritis consilium de præsentibus inirēt, Darius Hystaspis obtinuit, vt status vnius reciperetur. Est n. præstantissimus id quod natura quoq; in armentis, gregibus, apibus, gem-

bus, gem-

bus, gemmis, metallis, & ſyderibus adumbrauit. De proceſſu autē in hunc modum inter eos conuenit, vt ſub ortū ſolis equis conſcēſis, dum in vrbanis vectarētur, cuius equus vocē primus edidiſſet, is regno Cābyſis potiretur. Fuerūt poſt mortē C. Cæſaris omnia plena odiorū, ſimultatū, diſcordiarū, perfidiæ & bellorū ciuiliū, ita vt imperium ſuâ ipſius mole laborans ad occaſum tenderet. Quamobrē eâ tēpeſtate Cicero, vt homo ſapientiſſimus, & antiquitatis peritiſſimus, ex 2° ἑλληνικῶν, vel παραλειπομένων Xenophontis medicinā arripuit: & ἀμνηστείαν, i. e. ſempiternam iniuriarum obliuionē à Thraſybulo inductā, quaſi poſtliminio reuocauit, vt Reip. labaſcenti ac ſeneſcenti auxiliū ferret. Quemadmodum enim hæc Athenienſium Politiæ iam olim profuerat: ita & tunc Romanæ profuturam eſſe cēſebat. Profuiſſet autem plurimū ſublatis bellis inteſtinis, ſi Antonius Triumvir ſuo furore crudeliſſimis deliberationibus incitato, regniq; cupiditate incēſus hoc ipſum propoſitū impediuiſſet. Neq; vero nunc propter breuitatē ſubiicere libet, quomodo idem M. Tullius, natus patriæ ciuis, ex euentu belli Mariani, in quo multū ſanguinis Romani profuſū erat, nihil monitorū aut querelarū prætermiſerit: & ante bellū Pompeianū vel iniquiſſimā pacē iuſtiſſimo bello præferendā eſſe iudicauerit. Nā ſeditio domeſtica tāto nocētior eſt bello, quod cōſentientib. animis aduerſus exteros geritur, quāto bellū peius eſt pace. Poſt conſilia Politica pacis, & bellica apud animū noſtrum perpēdamus, quæ ex ſcientia rei militaris proficiſcuntur. Nam ſi pax, tanquam libertas trāquilla, ſeu ocium cū dignitate coniunctum

retineri non poteſt, belli cauſas penſitare decet, quod vel legitimæ defenſionis gratia gerendum eſt, vel vt iniuſti, improbi & ſcelerati ſuppliciis debitis afficiantur. Conſiderandum eſt quoque belli genus ac hoſtium: & qua forma pugnæ ad victoriam obtinendam vtendũ ſit, quemadmodum Paulus Æmilius ſingulari arte phalangem Macedonicam diſiecit. Primum autem cõſilium in hoc genere ſtatuatur: *Nunquam bella non neceſſariò, vel ex fiducia virium & præſidiorum humanorum, aut odiis iniuſtis atque æmulationibus ſuſcipienda eſſe.* Obſeruat hoc præceptum Artabanus in ſeptimo libro Herodoti, & Nicias in ſexto Thucydidis. E conuerſo autem contra idem præceptum, in Bibliis quidem Ioſias, rex pius & ſanctus: & apud Ethnicos Xerxes, quartus monarcha Perſarum, inſtinctu Mardoni: Athenienſes vero in bello Peloponneſiaco, & Alcibiades in Siculo; apud Carthaginenſes, Amilcar & Hannibal: apud Romanos, Marius, Sylla, Pompeius & Cæſar impingunt. Deinde ad conſilia bellica referamus orationem Periclis, in primo Thucydidis, quæ etſi polypragmonica eſt; tamen requirit ſumptus ad conficiendum neceſſarios, atq; euincit bella magis præſenti copia, quam violentis collationibus ſuſtineri. Secundo communem etiam deliberationem & conſenſum poſtulat. Tertio contendit, belli occaſiones non expectare tarditatem: atque inprimis peritiam rei militaris accedere oportere. Porro ad conſilia bellica aggregemus quoq; rationem Alexandri Magni, apud Arrianũ lib. 2. de Tyro obſidenda, & non relinquendis à tergo hoſtibus: cum aliis fere infinitis, quas ſuccinctæ

breuitatis

breuitatis gratia omittere oportet. Cumque militiæ artem magna ex parte ex ſtratagematum hiſtoria collectā eſſe conſtet, & ad eandem doctrinam & ſtratagemata, vbicunque occurrunt in autoribus, hunc vnum in locum cogamus, vt lib. 2. Decadis 3. Liuianæ celeritatem Hannibalis, qui vaſtatâ Campaniâ, inter Caſilinum oppidum, & Calliculam montem à Fabio clauſus, ſarmētis ad cornua boum alligatis atque incenſis, præſidium Romanorum, quod Calliculam inſidebat, fugauit, & hoc modo ſaltum transgreſſus eſt. Deinde quod idem Pænus cum circumpoſita vreret, eiuſdem Fabii Dictatoris agro pepercit, vt eum tanquam proditorem ſuſpectum redderet. Talis ingenii ſagacitas in adminiſtratione rei militaris, qualis fuit Arati Sicyonii, Lucii Luculli, C. Cæſaris, Cn. Pompeii & aliorum, obſeruatu digniſſima eſt.

Hiſtoriæ etiam hac ratione inprimis conducunt ad prudentiam, quod vim στοχαστικὴν excitent & doceant, quomodo ex præſentibus futura præuidenda ſint.

Hunc quoque effectum præ aliis diligenter explicuit Franckenbergerus; ideò iuuat locum huc quoque adnotare: Cæterum antiquitatis, inquit, & hiſtoriarum dignitatem etiam hinc metiamur, quod ex his ſecundos vel aduerſos rerum exitus prædicere liceat. At cum vaticinari de futuris ſit argumentum diuinitatis, in eo genere primæ debentur Deo conditori omnium creaturarum: & poſt Deum Prophetis, qui ex inſpiratione diuinitus facta, & afflatu numinis cœleſtis,

Pag. 309. & ſeqq.

quæcunque à Deo acceperant, disertè ac dilucidè enunciarunt. Sed imitantur conditorem & Prophetas per [1] κακοζηλίαν quandam Diaboli πολυΐστορες [2], dum multa στοχαστικῶς siue coniecturis ducti in oraculis reddendis collegerunt, eo fine atque omine, vt [3] idolomanias confirmarent ac stabilirēt. Nonnunquam vero dubitantes & sibimet diffidentes de certitudine prædictionum, responsa sua perplexis, inuolutis, intricatis, captiosis & ambiguis metris illigarunt, vt tecto latere abscederent, atque prudenter cauerent, ne quid cultus idololatricus detrimenti caperet, queadmodum oracula Crœso, Cambysi, Hannibali & aliis reddita, satis superque testantur. Verum responsis Delphicis, ac prædictionibus Extispicum, Aruspicum & Augurum certiora & veriora existimentur oracula sapientum historica, quibus quasi in vigilia quadam senatoria & consulari: aut, si placet, in altissima specula constituti, ex retroactis seculis atque experimentis non fallentibus futuras tempestates prospiciunt, eo fine, vt mortales ad portum pœnitentiæ sese conferant atque conuertant. Hac itaque ratione & modo, omnium ætatum omniumq; temporum narrationes, attestantur, quod quandocunque peccata vitiaque hominū virtutis speciem induerunt, vel magnopere creuerunt & inualuerunt, id effectū esse, vt calamitates & pœnæ fatales sequerentur, quæ ex caussis malorū ignoratis, vel certe neglectis aut contēptis oriebātur. Et numerat scriptura sacra ex magna colluuie delictorum hæc tria atrocia: ἀσέβειαν, ἀδικίαν, ἀσέλγειαν: *impietatem, iniustitiam, & luxuriem*. Sed inter ea primum impietas Ecclesiam ad vastitatem

tatem

tatem vocat, iniustitia communẽ humani generis consociationem turbat, & luxuries Oeconomias euertit. Iuxta hanc doctrinam recte philosophatur Iupiter Homericus in concilio deorum suorum, de adulterio Ægysthi, homines ὑπὲρ μόρον, seu, præter fatum & voluntatem diuinam pœnas attrahere. Postea verò ex rebus præteritis vaticinium historicum, de monarchiarum, regnorum ac potentium rerumpublicarum occasu futuro, sumendum est. Etenim, quandocunque regimina ad morbos & corruptelas, quæ Græcis παρεκβάσεις appellantur, declinant & degenerant, conuersiones & mutationes fatales sequi necesse est, id quod sub Balthasare Babylonico, & aliis tyrannis accidisse meminimus. Nam secũdum Polybium, καθάπερ σιδήρῳ μὲν ἰὸς ξύλοις δὲ θρίπες καὶ τερηδόνες συμφυεῖς εἰσὶ λῦμαι, ὧν κἂν πάσας τὰς ἔξωθεν διαφύγωσι βλάβας, ὑπ' αὐτῶν φθείρονται τῶν συγγινομένων, τὸν αὐτὸν τρόπον, καὶ τῶν πολιτειῶν συγγίνεται κατὰ φύσιν ἑκάστῃ καὶ παρέπεταί τις κακία. Iuxta hæc axiomata Crœsus apud Herodotum, lib. 3. pœnas Cambysi his verbis prædicit: ὦ βασιλεῦ, μὴ πάντα ἡλικίῃ καὶ θυμῷ ἐπίτρεπε, ἀλλ' ἴσχε καὶ καταλάμβανε σεωυτόν. Ἀγαθόν τε πρόνοον εἶναι. σοφὸν δὲ ἡ προμηθείη. Σὺ δὲ κτείνεις μὲν ἄνδρας σεωυτοῦ πολιήτας ἐπ' οὐδεμιῇ αἰτίῃ ἀξιοχρέῳ ἑλὼν κτείνεις δὲ παῖδας. ἢν δὲ πολλὰ τοιαῦτα ποιέῃς, ὅρα ὅκως μή σευ ἀποστήσωνται Πέρσαι. Eodem pacto Artabanus in septimo Herodoti dissuadens bellum Græciæ inferẽdum, vaticinatur ex bello Darii contra Scythas, qualis huius præsentis, de quo deliberatio instituitur, exitus sit futurus. Et Cicero ciuilibus, atque inprimis ex Mariano & Syllano euentum de Pompeiano prædicit. Denique Dionysius pater filio tyranno auguratur: Si ita ages, non habebis tyranni filios.

In specie vero ad Ethicam, inprimis vero ad Oeconom. & Polit. tantæ est efficaciæ Historia, vt qui eam velit ab Oeconomicis & Politicis separare, aut putet se posse has prudentias sine accurata historiarum lectione acquirere, is vehementer erret, neque sciat, quid sit prudentia Oeconomica & Politica, vel quod distinguatur in generalem & specialem, quæ specialis Oecon. & Polit. in vniuersum ab historiis pendet.

Inter Effecta historiarum etiam est, quod ex iis liceat consolationes haurire in necessitatibus publicis ac priuatis.

Sed & hunc effectum fusius quam alius quisquam deduxit Franckenbergerus; ideo vt omnia habeant studiosi quasi sub vnum intuitum, in hac de effectis historiarum doctrina posita, non pudebit integrum eius locum huc transferre:

Pag. 428 Quod reliquum est, demonstremus, quantam in labore & rebus aduersis ex hac professione cõsolationem hauriamus. Nullius est autem tantum flumen ingenii, nulla dicendi aut scribendi tanta vis, tantaque copia, quæ calamitates nostri seculi, ne dicam contendendo satis exaggerare, sed enumerando recensere possit. Primum enim, vt de caritate annonę, ære alieno, solutionibus interclusis, & pestilentia, tot annis elapsis, modò grassante, modò inducias, vt ita loquar, faciente, nihil agatur, quantum pelagus malorum publicorum hactenus in orbe Christiano extitit. Etenim toties regna & nationes Europæ seditionibus inter se collisæ sunt, & adhuc colliduntur, quæ

tanto

tanto nocentiores iudicantur, bello, consentientibus animis & viribus coniunctis contra Turcam, hostem nostrum communẽ gerendo, quanto bella legitima peiora esse pace existimantur. Postea, si Ecclesiæ ærumnas considerare velimus, licèt non tam sinistræ opus sit, dextra, quam Ecclesiæ, concordia docentium; tamen præter hæreses oppugnationemque articulorum fidei manifestam, omnia dissensionum, inuidiæ, æmulationum, odiorum, simultatum, fastus, superbiæ, periculorum ac persecutionum plena esse deprehenduntur, vt doctores Apostolorum temporibus, & in Ecclesia primitiua, pietatem veram sectantes, χρυσείους ἄνδρας, i. *aureos viros*; nostra vero ætate cupiditatibus indulgentes, magnosque spiritus gerentes, facilè ferreos dixerimus. Multi præterea anguntur atque excruciantur propter dissensiones, distractionesque animorum illiberales, quos à studio Theologiæ sacrosanctæ deterreri ac resilire animaduertimus. Prouolant enim scripta hominum intemperanter abutentium & ocio & literis: conuiciis planè & maledictis referta, eaque morum nostrorum impotentiam satis produnt atque demonstrant. Hæc autem dum adolescentes in magna iudiciorum infirmitate legunt, & in illis hærent & habitant, textum instrumenti vtriusque, cũ libris doctrinæ à cœno idololatrico perpurgatæ methodicis, ex manibꝰ deponunt; magisque præpostera quadam festinatione de apicibus, quam de fundamento religionis & vera Dei inuocatione solliciti sunt. Denique negliguntur alia adminicula, vt notitia linguarum, ratio disserendi, ac dicendi cum cæteris

artibus honestis, vel certe obiter & sine ardore addiscuntur; cum tamen ad solidiorem rerum verborumque cognitionem maximopere cōducant. Cum itaque his omnibus de causis plerique ita frangantur & cadant, vt ad nullam animorum æquitatem extolli posse videantur, peropus est consolationibus, quæ licèt dolorē, acerbitatemq; non in vniuersum auferant; attamen afflictos quodammodo exigere, diffidentesq; statui præsenti confirmare possunt. Neq; enim in his malis desperare, neq; pueros, qui cum ad lapidē offenderunt, prolapsi circa id, quod læsit, eiulando tēpus trahunt, imitari, sed ad sanandum præsto esse debemus. Est autem in historiis inter alias consolationes, valde efficax communis quasi legis & humanæ cōditionis recordatio, ne nobis in eadē naui versantibus, propriam aut præcipuam fortunam postulemus, aut communem recusemus. Postea si calamitates alienas & clades legamus & perpendamus, atque ea tractatione miserias nostras minores reddere, doloremque lenire ac leuare studeamus, id quod viros præstātes iam olim factitasse deprehendimus. Nam si aliorum infortunia intuentes, vnà cum ærumnis nostris & periculis vnum in locum comportauerimus, plerique libētius suas quas domo attulerant, quam alienas domū relaturi sunt. Hanc in sententiā Socratem illū, Philosophorū principem, censuisse ferunt, oportere, vt felicitates in cōmune conferrentur, vt vnusquisq; ex æquo partiretur: futurū autem, vt plures suas libenter capientes discederent. Quapropter, quia hæc confirmata certa & rata sunt, statū præsentem cum veterum statu conferre ma-

ximopere vtile est, vt ex comparatione instituta, contra tot ictus, qui ne semel quidem auertere à miseriis cogitationes patiuntur, cõsolationẽ haud contemnendã percipiamus. Primum autẽ, quod tela præuisa minus noceant, Seruator noster prædixit, tales rumores bellorum postremis temporibus futuros esse, qui, quemadmodũ impiis metum ac terrorẽ incutiunt propter appropinquans iudicium vltimum; ita ex autoritate & vaticinio eiusdem, piis liberationem ac finem ærumnarum quotidianarum secum adferunt. Deinde nostra bella cum veteribus, nec contentionum magnitudine, nec numero præliorum, nec varietate regionum, in quibus gerebãtur, exæquari posse existimemus. Nam secundum illam sapientẽ distributionem ætatum mundi, prima ætas fuit λογιστικὴ, propter naturam & bonitatem hominum, in qua artes initiò inuentæ atque excultæ sunt, & gubernatio planè paterna fuit, sine metu alieno & seruili coactione. Secunda ætas fuit θυμικὴ, in qua imperia constituta sunt. Et cõplectitur sub hac Dn. Philippus præceptor Monarchias quatuor, & heroes: Ninum, Cyrum, Darium Hystaspis, Xerxen, Alexandrum, Scipiones, Mariũ, Syllam, Pompeium & Cæsarẽ: facto initio à Nimroth ad Iulium Cæsarem. Tertia est ἐπιθυμητικὴ, languida, eneruata, deliciisque, voluptatibus & ocio ignauo ac luxurioso diffluens. Sed hæc distinctio ἐν πλάτει, & cum grano salis accipiatur, non quod in prima & secunda ætatibus nulli desidiosi principes inuenti sint; aut post Iulium nulli prorsus heroes extiterint. Respectu itaque mediæ illius ætatis bellicosissimæ, pleraque nostra, quæ in Europa

geruntur bella, verius cupiditates, tumultus, motus, ſeditiones, ſacrilegia & latrocinia nominari poſſunt. Etiamſi enim multa incipiuntur, tamen non eſt idem vigor, contentio, ardor ac celeritas conficiendi. Suntq; ſimilia quodammodo Corcyrææ ſeditionis, vbi alii propter priuatas ſimultates, alii propter pecuniam interficiebantur, vt omnis ſpecies mortis atque exitii obuia eſſet; ac poſtea in tota Græcia paſſim diſſidia exorirentur. Deinde veterum bella fuerunt vel legitima defenſio, qualis eſt Athenienſium pro liberis Herculis, & Conſtantini Magni contra Licinium pro Eccleſia ſuſcepta; vel legitima pœna, tyrannis nimirum punitis ac ſublatis; & pace aurea gentibus reſtituta. Dimicatum etiam eſt ſæpe de gloria, vt inter Romanos & Carthaginenſes, quod vtraque ciuitas domina orbis terrarum eſſe voluit. Nihilque fuit his omnibus antiquius, quam vt partis victoriis genus humanum legibus, iudiciis & diſciplina exornaretur, quemadmodum Alexander ad Ægypti & Romani ad prouinciarum ordinationem ſe conuerterunt. Ad Eccleſiæ noſtri ſeculi afflictiones quod attinet, nemo quidem inficias ire poteſt, tempore repurgatæ atque inſtauratæ doctrinæ, multas hæreſes exortas eſſe, cum Pontificii ante emendationem omnia ſopita, tranquilla, & pacata fuiſſe iactitent. Verum cauſa iſtarum multiplicium ſectarum non in verbum Dei, ſed primum in diabolum, deinde in leuia, contentioſa & ambitioſa ingenia transferri debet, ſicut ex definitione hæreſeos patet, & Iuſtinus Martyr, Quæſtione 4. ad Orthodoxos, his verbis confirmat: Νῦν καὶ διακρίνουσιν ἀλλήλους ἐπὶ τῷ ἀλλοτρίῳ

τρέω τοῦ φρονήματος, δῆλοί εἰσιν ὅτι ἐκ φιλοδοξίας ἢ αὐτοπαθείας τῶν αἱρεσιαρχῶν, πᾶσαι αἱ αἱρέσεις τὰς ἀφορμὰς ἐσχήκασι τῆς συστάσεως αὐτῶν, δι᾽ ἣν αἰτίαν λύκοι βαρεῖς ὑπὸ τοῦ ἀποστόλου ὀνομάσθησαν οἱ τῶν αἱρέσεων ἀρχηγοί. Vt autem in his malis animorum motus, ſollicitudines, ægritudinesque leniantur, certò ſtatutum habeamus, nihil Eccleſiæ noſtra tempeſtate, quod nouum vel inauditum ſit, accidiſſe, vel nunc etiam accidere. Etenim iam olim, & quidem ætate Apoſtolorum, Diabolus euomuit verbi Diuini corruptores, qui ſynceram Apoſtolici campi ſementem vitiarunt, vel more ſerpentum in Eccleſias irrepſerunt. Atque inter hos tenuit primas Simon Magus, Samarites, κακοτεχνίας ὑπαρχὸς, coryphæus, parens, ſignifer & opifex aliarum ſectarum: cum quo diuo Petro acerrime dimicandum fuit, quique ſuis præſtigiis effecit, vt à Claudio Cæſare propter magiam ſtatuâ poſitâ honoraretur, cum Latina inſcriptione: *Simoni Deo ſancto.* Iohannem Euangeliſtam & Apoſtolum afflixit Cerinthus, docẽs, Ieſum ex Ioſepho & Maria natum, eſſe ſimilem cęteris hominibus, ſed iuſtitia & prudentia aliis antecellere. Neque vero ſanctum Paulum minus exercuerũt Nazaræi, Galatarum Eccleſias ab Apoſtolo recte conſtitutas perturbantes, & articulum de iuſtificatione hominis coram Deo inſigniter deprauantes. Poſt ætatem Apoſtolorum Satan veritatis ſplendorem multo magis obſcurare voluit, & ingentem colluuiem atque ſentinam hæreticorum in orbem terrarum effudit, ita vt nauicula Seruatoris noſtri flatibus impetuoſis & fluctibus marinis vehementer agitaretur: qua de re diuus Irenæus, Epiphanius, Theodoretus, & Auguſtinus, vnà cum hiſtoria Eccleſiaſtica egregie per-

tractarûnt. Cæterum hîc rursum historiæ beneficio erectiores reddimur, quod Deus tales pestes generis humani fortissime repressit, vel radicitus extirpauit. Namque iustitiæ suæ ac vindictæ diuinæ exemplum illustre in Simone Mago statuit, qui, cum teste Nicephoro, libro 2. cap. 36. iactitaret, se in cœlum ascensurum esse; & à Diabolis in aerem sublatus esset, sanctus Petrus spiritibus impuris mandauit, vt eum abiicerent, quo casu terræ allisus, extinctus atque ruptus est. Verba Nicephori Latine reddita sic se habent: *Tu quis es?* inquit Simon Magus, *proptereáne Christus tuus magnus est, quod à terra cœlos conscendit? Quin & mihi facere id procliue est. Et confestim manibus extensis, dæmonibus eum, quibus se permiserat, ducentibus ferebatur. Petrus autem admodum anxius esse, & cum Deo in corde per precationem colloqui: & tandem Spiritu plenus, potestates illas, quæ hominem nefarium in sublime tollebant, increpare, & vt ab eo discederent, iubere. At ille statim deorsum præceps fertur, & humi allisus, mortuusque rumpitur. Ibi ex populo, qui antea Simonem diuinos vsurpantem honores laudibus celebrauerant, subito ita prostratum videntes, laudes pristinas per palinodiam recantantes, ingenti claraque voce,* Vnus est magnns Deus, acclamant, quem D. Petrus & Paulus aperte & clarè prædicant. *Arius vero confidens causæ suæ, ac stipatus sodalitio, in via petens secessum, vnà cum excrementis, intestina, iecur & splenem eiecit, atque ita fœdissima morte periit.* Ac nimis longum foret latius persequi pœnas, quas Deus iustissimo iudicio blasphemis inflixit. Postea hæreses Ecclesiæ plurimum, non quidem per se, sed per accidês, quemadmodum

admodum in artibus loqui ſolemus, profuerunt, vt nimirum ſinceri & amantes veritatis cœleſtis, ab hypocritis & hoſtibus veritatis diſcernerentur: & propter fidei probationem quaſi murus inter bonos & malos intereſſet, vel vnusquiſque in fronte ſcriptum haberet, quid de puritate doctrinæ diuinitus traditæ ſentiret, cuius vtilitatis meminit Tertullianus De præſcriptionibus aduerſus Hæreticos: *Ad hoc hæreſes ſunt, vt fides habendo tentationem, haberet etiam probationem.* Et Auguſtinus triceſimo ſexto in Iohannem inquit: *Multi hæretici abundant, & ad hoc eos Deus abundare permiſit, ne ſemper lacte nutriamur, & in bruta infantia remaneamus.* Quocirca his de cauſis Cerinthus, à cuius prorſus abſurda & importuna ſcientia plurimi ortum traxerunt, Iohanni Apoſtolo occaſionem præbuit, vt Euãgelium ſuum conderet, & tanquam κειμήλιον infiniti precii Eccleſiis relinqueret. Antecellit enim hoc opus nõ ſolum copia & multitudine concionum Seruatoris noſtri, verum etiam tempora aptiſſime diſtinxit, & diuinam generationem filii Dei humana præſtantiorem, & ſibi à Spiritu ſancto reſeruatam diligentiſſime & accuratiſſime explicauit. Paulo Apoſtolo occaſionem præbuerunt Nazaræi, vt Epiſtolam ad Galatas, expugnatricem Iudaiſmi, contexeret, quæ inſtar gemmæ vel Heſperi & Phoſphori inter reliquas Paulinas lucet. Et Aurelium Auguſtinum Pelagiani; Lutherum & Melanchthonem aduerſarii Pontificii excitarunt, eiſque ſcripta longe vtiliſſima quaſi ex manibus extorſerunt.

Præterea hæretici anſam præbuerunt, vt Synodi in diſiunctiſſimis orbis terrarum partibus, aliæ vniuerſales, aliæ particulares celebrarentur. Atque hæ multos fidei articulos dilucidè explicârunt & illuſtrarunt; ac præterquam quod ſuam ſcripturæ interpretationem in literis ſacris fundamentum habere perſpicuè atq; euidenter demonſtrabant, errores contrarios & blaſphemias ex Eccleſia exturbarunt. Condiderunt enim decreta ſalutaria, conſilioq; ſuo, prudẽter ac circũſpectè canones definierunt, qui ad præſentium certaminum diiudicationem facilè accommodari poſſunt. Quanquam autem ex illis nonnullæ prorſus impiæ fuerunt; nonnullæ vero non pari fidelitate & puritate doctrinam cœleſtem propagârunt; & præter dogmata falſa traditiones humanas ac quidem cum opinione neceſſitatis & meriti cumulârunt: quales ſunt, Tyria impia, Sidonia impia, Mediolanenſis impia, Syrmienſis ex parte: Seleucienſis item, atque Epheſina ſecunda ληστρική, cum aliis quibuſdam ſequentibus; tamen Hieroſolymitana Apoſtolorum, Antiochena prima, Nicena prima, Conſtantinopolitanæ tres vniuerſales; Epheſina, tertia vniuerſalis, & Chalcedonenſis, quarta vniuerſalis, cum aliis quibuſdam iudicio Eccleſiæ Orthodoxorum celebratiſſimæ ſunt, quòd impios erroris conuictos, & ad ſanitatem non redeuntes, anathemate ferire nihil quicquam vererentur.

Sed vt auxilio hiſtoriæ ex malis maius emolumentum nobis & conſolatio naſcatur, Hieroſolymitanæ Apoſtolorum, Actorum 15. imaginem illuſtrem & formam conciliorum piorum exprimenti,

menti, diſceptatio & ſeditio occaſionem prębuit: Antiochenam primam Paulus Samoſatenus, ſucceſſor Demetrii περὶ τοῦ Χριστοῦ παρὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν διδασκαλίαν φρονήσας, ὡς κοινοῦ τὴν φύσιν ἀνθρώπου γενομένου, per accidens coëgit.

Quam quidem ob cauſam Epiſcopi Orthodoxi, hæreſin iſtius adulatoris humanæ rationis denudare, & in apertum protrahere in animum inducentes, authorē protinus damnârunt. Concilium Nicænum per accidens congregauit Arius, negans filium Patri eſſe ὁμοούσιον, ſed creaturam, atque ex οὐκ ὄντων γεγονότα, id eſt, *ex nihilo factum eſſe*. Etſi Theodoretus lib. 4. de Hæreſibus plures eius blaſphemias recenſet.

Extat autem illa de re ipſius Arii Epiſtola Græca in libro 1. eiuſdem Theodoreti Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 5 ſed inuolutè ſcripta: atque in eodem libro Epiſtola Orthodoxa, & dilucidè pertexta, Alexandri Epiſcopi Alexandrini, ad ὁμώνυμον Alexandrum, Epiſcopum Conſtantinopolitanum, continens refutationem Arianæ impietatis: Idcircò trecenti & octodecim Epiſcopi ſententias dixerunt, & damnato Ario, Symbolum Nicænum condiderunt, quod adhuc in Eccleſiis canendum atque ediſcendum proponitur.

At verò hic 21. vt rurſum expeditæ breuitatis gratia, tres Conſtantinopolitanas vniuerſales cōtra Eunomianos, Sabellianos, & huius farinæ portenta dimittamus, Epheſinæ tertiæ vniuerſalis, cauſa fuit Neſtorius Germanicienſis, contendens duas in Chriſto naturas non perſonaliter vnitas eſſe; in quo Concilio certæ formulæ conſtitutæ ſunt, & hæreticus à Cyrillo Epiſcopo Ale-

xandrino & reliquis, damnatus est. Chalcedonensem Synodum trecentorum & sexaginta Episcoporum, excitauit Eutyches, duas in Christo naturas, seu Verbi & carnis naturam confundens ac permiscens, vt quàm longissimè à Nestorii sententia recedere videretur.

Non autem illud est nouum & inauditum, vt qui alios reprehendere ac corrigere voluerint, in contrarios errores & impietatem inciderint, cùm præsertim, teste Nicephoro libro 18. capite 48. & Monophysitarum hæresis contraria Nestorianæ extiterit.

Atque idem Dionysio Alexandrino vsu venit, vt dum Sabellio acrius repugnauit, non improbitate mentis, sed nimio contentionis studio, quò illustrior euaderet victoria, in contrarium malum clam delatus, & à vera doctrina declinans viciosæ sententiæ περὶ τοῦ ἀνομοίου, id est, de inæquali, hominibus seminarium præbuerit: atque ita essentiæ diuersitatem, & potentiæ diminutionem, gloriæque variationem posuerit. Quapropter Diuus Basilius in Epistola ad Maximum, plantatori illum comparat, qui tenellæ arboris distortionem emendare conatus τῇ ἀμετρίᾳ τῆς ἀνθολκῆς, seu immodica retractatione peccans, à medio aberrat, & germen ipsum in contrarium deducit.

Sic nostro tempore Flacius in velitationibus eò dementiæ processit, vt fingeret, peccatum esse substantiam: ac ne quidem satis commonefactus, atque ex verbo Dei edoctus per alios desistere voluit.

Ad eiusmodi autem hæresium prædictarum damnationem ex verbo Dei desumptam, sicuti multipli-

multiplices opiniones & deliria pręsentium temporum veluti ad lapidem Lydium, reuocari possunt; ita ad similitudinem veterum Conciliorum errores Pontificiorum in causa fuerunt, vt annò millesimò, quingentesimo, tricesimo, conuentus Augustanus celebraretur, quem Lutherus, *vltimam mundi tubam* appellauit.

In distractionibus Theologorum nostra ætate, consolatur nos ex historia recordatio dissidiorum inter ipsos Apostolos, & quidem ne labi possent, à Spiritu S. confirmatos: ac postea inter Patres præcipuos veteris ac purioris Ecclesiæ, quorum imaginem in nostris dissensionibus videre licet. Namque Diuus Paulus ad Galatas 2. cap. Petrum Apostolum acriter reprehendit, eique in faciem restitit, quod, dum metuit alienationem Iudæorum, ex gentibus conuersos offendit.

Hanc simulationem Patres primitiuæ Ecclesiæ vitium conuersationis, non prædicationis, ac multò minus doctrinæ corruptelã vocant, quemadmodum Tertullianus in libro De præscriptionibus, aduersus hæreticos, paginâ septuagesimâ septimâ inquit: *Si reprehensus est Petrus, qui* (cum) *conniuisset Ethnicis, postea se à conuictu eorum separabat personarum respectu: vtique conuersationis* fuit vitium, *non prædicationis.* Non enim ex hoc alius Deus, quam creator, & alius Christus, quàm ex Maria, & alia spes, quâm resurrectio annuntiabatur. Non mihi tam benè est, imò non mihi tàm malè est,, vt Apostolos committam: sed quoniam peruersissimi isti illam reprehensionem ad hoc obtendunt, vt suspectam faciant doctrinam superiorem, respõdebo quasi pro Petro;

ipſum Paulum dixiſſe, factum ſe omnibus eſſe omnia, Iudæis Iudæum, nō Iudæis non Iudæum, vt omnes lucrifaceret. Adeò pro temporib. & perſonis & cauſis quædam reprehendebant, in quæ & ipſi pro temporibus & perſonis & cauſis committebant: quemadmodum ſi & Petrus reprehenderet Paulum, quod prohibens circumciſionem, circumciderit Timotheum, viderint qui de Apoſtolis iudicant.

Sed tamen cùm Paulus ſcriberet Epiſtolam ad Galatas, diſſenſio vtriuſque, & reprehenſio Petri ad aſſerendam Pauli authoritatem Apoſtolicam maximum momentum habuit contra Nazaræos hæreticos: & vt faceſſente hypocriſi, conſtantiæ Apoſtolis dignæ, ac libertati Chriſtianæ ſuus honos conſtaret.

Ad eundum verò modum triſte diſſidium occurrit Actorum 15. cap. inter Paulum & Barnabam, amicos conſiliis & animis coniunctiſſimos, quod hic Iohannem, qui & *Marcus* vocabatur, aſſumere voluit, ille verò non aſſumendum cenſuit, propterea quod ab ipſis in Pamphilia abſceſſiſſet, id eſt, ad coëundam ſocietatem, laborum & periculorum non veniſſet. Et vſus eſt Euangeliſta Lucas appellatione emphaticâ παροξυσμὸς, vt exacerbationes vehementes, & motus concitatos, viarumque ardorem, flammas & incendia exprimeret. Sed ſi rem rectâ reputare viâ velimus, prouidentia & vis conſilii diuini hanc ſeparationem ita vel diſpoſuit, vel temperauit, vt ad Eccleſię catholicæ exædificationem referretur, & doctrina Euangelii in diſiunctiſſimis orbis terrarum partibus quam latiſſimè ſpargeretur.

Inter Epiphanium verò & Chryſoſtomum itidem magnæ & acres contentiones exortæ ſunt, quia Theophilus Epiphanium ad libros Origenis damnandos impulit. Quam quidem ob cauſam Conſtantinopolin profectus, à Chryſoſtomo, Epiſcopo Conſtantinopolitano poſtulauit, vt & ipſe damnationi librorum Origenicorum ſubſcriberet. Verum hac re in controuerſiam & diſceptationem vocata, tãtopere in gerendis inimicitiis efferbuerunt atque exarſerunt, vt Epiphanius ſe in viam daturus, affectu quodam humano in hæc verba erumperet: ἐλπίζω σὲ μὴ ἀποθανεῖν ἐπίσκοπον: *ſpero te non moriturum Epiſcopum*: Iohannes autem pro eo dicto aliud regereret: ἐλπίζω σὲ μὴ ἐπιβῆναι τῆς σοῦ πατρίδος: *ſpero te non ingreſſurum patriam tuam*. Vtriuſque vero imprecationem ratam fuiſſe, ac prædictioni euẽtum reſpondiſſe, Socrates lib. 6. hiſt. Eccleſiaſticæ, cap. 21. disertè teſtatur. Neque enim Cyprum Epiphanius ingreſſus eſt, ſed in nauigio, quo diſceſſerat, mortem obiit: & Chryſoſtomus breui poſt ab Epiſcopatu remotus eſt.

Quamuis autem hîc plura ſubiici poſſent de certamine inter Hieronymum & Auguſtinum; tamen methodi ratio limites tranſgredi nobis minimè conceſſerit.

Vltima calamitas Eccleſiæ noſtro ſeculo, ſunt exquiſita piorum ſupplicia, orbitates & exilia, paſſim in Belgio, Gallia & aliis in locis.

At verò ne hîc quidem præcipuè dolendum erat in eo, quod vniuerſæ Eccleſiæ iam olim acciderat. Nam perſecutiones aliæ vniuerſales, aliæ particulares numerantur, quę omnibus Chriſtia-

nis notissimæ esse debent. Fecitque initium sæuitiæ ex Imperatoribus Romanis Nero, pietatis erga Deum hostis declaratus, & multorum diabolorum cloaca. Etiamsi enim primo quinquennio omnium principum fuit clementissimus, tamen postea quam orientem subegit, crudelitatem in cunctos, nulla habita sexus, vel ætatis ratione, exercuit; & ad necem Apostolorum cõuersus, Paulum capite truncauit, & Petrum palo affixit. Testatur id Tertullianus De præscriptionibus aduersus hæreticos, pag. 80. loquens de Ecclesia Romana: felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt: vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Iohannis exitu coronatur, vbi Apostolus Iohannes, posteaquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in Insulam relegatur. Et rursum in Scorpiaco aduersus Gnosticos, pagina sexcentesima decima quinta, Orientem fidem Romæ primus Nero cruentauit, Tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci astringitur. Tunc Paulus ciuitatis Romanæ consequitur natiuitatem, cum illic martyrii renascitur generositate.

Domitianus autem veluti portio Neronianæ tyrannidis, non minus quam Herodes Magnus, timens posteritatem Dauidis, & aduentum ac regnum Messiæ; nihilominus tamen cœpto tandem destitit, restitutis etiã quos relegauerat. Huius vero mitigationis eam fuisse causam memorant, quod à nepotibus Iudæ, qui secundum carnem *Frater Domini* vocabatur, ad se adductis expiscatus est, num ex posteris Dauidis prognati essent. Cumq; illi hoc liquidò faterentur, ac denuò de suis

de suis possessionibus & pecuniis interrogarentur, responderunt, ambobus nouem denariorum millia suppetere, ita vt cuique dimidia eius pars cedat: atque hanc summam se habere non in argento, sed in æstimatione telluris, quæ non amplius quam triginta nouem iugera contineat, ex quibus tributa pendant, & suis se laboribus sustentent. Isti autem sermoni vt fidem adiungerent, duritiem corporis, & in manibus callos ex continuatis operis contractos ostēderunt: Quæsitique de regno Christi, illud nō mundanum, sed cœleste & Angelicum esse confirmarunt. Quibus dictis Domitianus eos vt homines contemptos & abiectos abs se dimisit, persecutionemque edicto suo inhibuit, ac sedauit. Sed ne hîc quidem est instituti præsentis, posteaquam Ecclesia ex ephebis, vt ita loquar, excessit, recensere persecutiones reliquas, quę passim in Historia Ecclesiastica cunctis obuiæ sunt; modò illud nobis ex animo non effluat, inter omnes tyrannos neminem Iuliano ad euertendam atque excindendam Ecclesiam callidiorem, astutioremque accessisse, quandoquidem præmiis, honoribus, blanditiis & persuasionibus maiorem penè populi partem, quàm si atrociter pulsasset, elisit. Interdixit etiam *Galilæorum liberis*, (ita enim appellabat cultores Seruatoris nostri) vsu Poetices, Rhetorices ac Philosophicarum artium. Nam propriis, inquit, vt in prouerbio est, pennis configimur, quod ex nostris libris arma capiunt, quibus in bello aduersus nos vtantur: vt interea istud taceamus, quod Christianos militia exegit, neque illis procurationem prouinciarum, iurisque dicundi debere

committi statuit, vt quibus lex propria, gladio vti prohibuisset. Sed hoc in loco, de exitu, effectu, vsu & fructu vberrimo atque amplissimo persecutionum in Authoribus Ethnicis quasi viam sternere oportet, ex quibus certò constat, virtutem, siue ea sit imperatorum & gubernatorum, siue excellentium oratorum, iurisconsultorum, historicorum & poëtarum, de quorum laudibus nulla vnquam ætas conticescet, in arduis, difficilibus, magnis, periculosisque rebus semper versatam esse.

Ad eundem vero modum Biblia sacra, & historia Ecclesiastica apud animos nostros testatum relinquunt, membrorum Christi fortitudinem ex fide non simulata profectam; & gloriam tanquam pietatis perpetuò comitem, in rebus aduersis, vt verbi gratia, in seruitute Ægyptiaca & captiuitate Babylonica: sub Antiocho, Epiphane, & aliis persecutionibus, multò maiorem extitisse, quam cum in rebus secundis maximè florere videretur. Etenim quia aliàs in pectoribus humanis multæ sunt latebræ & multi recessus; occultæ item voluntates ac retrusæ, quæ simulationum inuolucris teguntur, & quasi velis quibusdam obtenduntur; persecutiones vniuersales & particulares tanquam probationes fidei, ac ceu ventilabra quædam, aream Dominicam repurgant; atque frumentum constantiæ à paleis incōstantiæ segregant ac secernunt. Estque hoc maximè notabile & memorabile, quod non solum viri, propter sexum virtute instructiores & ornatiores, verum etiam virgines castissimæ cum mulieribus, miro desiderio atque impetu ad martyria contenderunt, sicut refert Sozomenus lib. 6. c. 18. de mulie-

de muliere martyrii cupidissima, & puerulum secum trahente, vt communis salutarisque supplicii particeps factus, præmia paria consequeretur. Textus authoris in fontibus ita habet: Γυνή τις παιδάριον ἕλκουσα, καὶ τὸ φάρος εἰκῆ ἐπισυρομένη, παρὰ τὸν πρέποντα γυναικὶ κόσμον, ὡς ἐπί τι σπουδαῖον ἐπειγομένη, τὴν ἡγουμένην τοῦ ὑπάρχου στρατιωτικὴν τάξιν διέτεμεν. Ἰδὼν δὲ Μόδεστος, προσέταξεν αὐτὴν συλληφθῆναι, καὶ προσκαλεσάμενος ἀπῄτει τοῦ δρόμου τὴν αἰτίαν. τῆς δὲ εἰπούσης, ἵνα θᾶττον καταλάβοι τὸ πεδίον, ἔνθα συνίασιν οἱ ἀπὸ τῆς καθόλου ἐκκλησίας. Μόνη οὖν, ἔφη Μόδεστος, οὐκ ἔγνως αὐτίκα μέλλειν ἐκεῖσε τὸν ὕπαρχον ἰέναι καὶ οὓς ἂν εὕροι, πάντας ἀναιρήσειν; Ναίχι ἀκήκοα φησί. Καὶ διὰ τοῦτο μάλιστα δρόμου δεῖ μοι, ἵνα τί τοῦτο τὸ παιδίον μεθ' ἑαυτῆς ἄγεις; ἤρετο ὁ ὕπαρχος. ὡς ἄγε καὶ αὐτό, ἔφη, τοῦ κοινοῦ πάθους μετάσχῃ, καὶ τὸν ἴσον ἀξιωθείη. Θαυμάσας δὲ ὁ Μόδεστος τὴν γυναῖκα τῆς ἀνδρείας, ἀνέστρεψεν εἰς τὰ βασίλεια: *Mulier quædam puerum trahens, ac vestem negligentius quam pro muliebri decoro, post se tractim ferens, quasi magna vrgeret festinandi necessitas, militarem aciem, quæ Modestum anteibat, interrupit: Modestus, comprehendi iussit: & ex ea, cur tantopere curreret, quæsiuit. Quæ cum se in campum ad cœtum piorum properare dixisset: soláne, inquit Modestus, ignoras, Præfectum illò statim venturum; & quoscunq; deprehendat, interfecturũ? Audiui vero, inquit illa: Ideoque mihi cursu maxime opus est. Sed cur puerulum tecum ducis? Vt, respondit hæc, ipse quoque communis supplicii particeps, paria præmia cõsequatur. Modestus fortitudinem mulieris admiratus, in palatium reuersus est, & Imperatori, vt cœpto desisteret, persuasit.*

Ex his omnibus luce meridiana clarius est, finem persecutionum esse probationem fidei; atque easdem constituendas esse euidentia ac miranda prouidẽtiæ diuinæ testimonia, quod cœtus credentium inter ipsas tyrannorum minas, cru-

ces, ſicas, gladios, ignes, & varia tormentorum genera, Chriſtianorum ſanguine ſuccreſcit & cõſeruatur, auctiorque & cumulatior ſubinde redditur. Quapropter cum vndiquaq; obſeſſa & oppreſſa virtutis in modum ac ſimilitudinem ſeſe erigat, & ſemper floridior, vegetior, potentior, & auguſtior euadat, meritò palmæ confertur, cuius ligni ingenium eſt, vt vrgentibus opprimentibusque non cedat, ſed contra molem impoſitam nitatur & fortius inſurgat, ſi magnitudinem oneris ſuſtinere non queat.

Hanc in ſententiam Tertullianus, quem iterum, iterumque honoris cauſa nominamus, in fine Apologetici aduerſus Gentes, pag. 72. inquit: *Plures efficimur, quoties metimur à vobis. Semen eſt ſanguis Chriſtianorum.* Et alibi pag. 437. his verbis vtitur: *Cum exurimur perſecutionis ardore, tunc probamur in fidei tenore.*

Denique à Theodoreto eleganter dictum eſt: *Exempla Martyrum eſſe quaſi turres quaſdam continentes murum fidei.*

Cum itaque ad ſollicitudinem hoc tempore adducimur, apud animum perpendamus, quid Eccleſiæ omnium penè ſeculorum memoria acciderit, & quomodo ex pelago calamitatũ emerſerit: ac ſtatuamus eum pro ſapiente haberi poſſe, qui in ſuum conuertere vſum norit hoc, quod apud Poetam Troianus Sibyllæ reſpondet:

—— Non vlla laborum,
O virgo, noua mi facies, inopinaq; ſurgit,
Omnia percepi, atque animo mecum ante peregi.

Accedit eodem, quod præcedentibus colophonem imponere videtur, quod tyranni perſecutores

cutores

cutores Deo grauiſſimas pœnas dederunt. Etenim Domitius Nero ſibiipſi lethum conſciuit, ferrum iugulo adigens, iuuante Epaphrodito, ſecundum Suetonium Tranquillum: vel ſemet ictu gladii tranſigens, ſecundum Sextum Aurelium adiuuante manum trepidantem impuro illo Eunucho Sporo, qui Neroni inſtar fœminę denupſerat.

Domitianus primùm à Stephano, deinde à cęteris libertis & cubiculariis, ſeptem vulneribus confectus eſt.

Vlpius Nerua Traianus, licèt optimus Princeps fuerit, & imperium ſub tyrannis concuſſum ac fermè collapſum, inſtaurauerit, vſque adeo, vt cornix denotans felicem eius ſucceſſionem de faſtigio Capitolii Græca voce clamauerit: καλῶς ἔσται πάντα, id eſt, *omnia bene erunt*, vel, *cuncta deinceps imperio honeſta & iucunda cadent*: tamen propter perſecutionem Eccleſia pœna affectus eſt, vt ſtupore membra reſolutus, & apoplecticus factus: ac demum aqua intercute repletus, apud Selinuntem, Ciliciæ vrbem, deceſſerit.

Decius, vbi ne quidem biennium imperaſſet, in bello contra barbaros, metuens, ne viuus in manus hoſtium veniret, paludis in voraginem inſiliit, ac ſubmerſus eſt, cum filius ſimul eodem in prælio occidiſſet.

Valerianus à Sapore Perſarum Rege ſuperatur & capitur: eiuſque ceruici victor, equum conſcenſurus, loco ſcabelli pedem imponit, donec ſenio confectum barbaricâ crudelitate excoriat, & ſale condit.

Reliqua ſupplicia ſtudioſi hiſtoriarum priuatâ diligentia inueſtigabunt: Præterquam quod narrationes atteſtantur, DEVM ſterilitate, diluuiis, fulminibus atque prodigiis perſecutiones fidelium eſſe vltum, eo fine atque omine, vt homines diſcerent μὴ θεομαχεῖν, aut bellum cœlo inferre.

Extra publicas calamitates, ac conſolationes his adhibendas, ſingulorum fuerit, exempla, quæ vel ad Deum immortalem agnoſcendum, vel ad ſalutem æternam, & bona tam cœleſtia, quam caduca comparanda referuntur, ad ſemetipſos, & ſui conſolationem accommodare. Vtitur eo artificio S. Paulus, cum alibi, tum de vna & eadem iuſtificationis ratione omnium temporum, quãdoquidem in 4. cap. ad Rom. & in 3. ad Galatas, exemplum τῆς πληροφορίας Abrahæ, ex 15. cap. Gen. in medium adducit. Et in priore ad Timoth. 1. c. ſemetipſum tãquam ὑποτύπωσιν magnitudinis peccatorum ac miſericordiæ diuinæ, cunctis creaturis ob oculos ponit.

Poſtremo, clariſſimi quique Ethnicorum, vt Oratores, Iurecõſulti, Philoſophi & Poetæ, ſcientes pleraſq; hiſtorias fere ob id vnicum tum ſcriptas, tum conſeruatas eſſe, vt mortalibus aut terrori aut conſolationi forent, hunc finem atque eiuſdem doctrinam eruditam maximi fecerunt. Hinc Cicero viros magnos, ſed à C. Cæſare debellatos iſto nomine erectiores reddidit, id quod auditores ex ipſius, quam ex meis verbis cognoſcere cupio. Sic enim ſcribit lib. 6. Epiſtolarum familiarium, Epiſtola 6. ad Aulum Cæcinnam: *Commemorarem non ſolum veterum, ſed & horum etiam recentium vel ducum vel comitum tuorum grauiſ-*

ſimos

ſimos caſus. Etiam externos multos claros viros nominarem. Leuat enim dolorem communis quaſi legis, & humanæ conditionis recordatio, &c. Deinde Seruius Sulpitius, cuius in iure ciuili ſingularis memoria, ſumma ſcientia fuit, ita, vt ſi multi in vnum conferrentur artifices, cum illo comparari non poſſent, Ciceroni à fine eodem propter obitum filiæ magna ſolatia præſtat; laboranti ſuccurrit; ægro medetur; atque ipſum tanquam ex tenebris ad aſpiciendam lucem reuocat. Scripſit etiam T. Pomponius Atticus volumen, in quo explicatis ordinibus temporum, quis vno in conſpectu omnia videre potuit: quandoquidem omnem memoriam breuiter, ſed diligenter complexus, totam antiquitatem ita expoſuit, vt ſecundum Cornelium Nepotem, nulla lex, neque pax, neq; bellum, neque res illuſtris populi Romani extiterit, quam non ſuo tempore notauerit. Hic liber, cum Cicero, quem in eo affatus erat, vehementer ob rempublicam angeretur, atque ex diuturna perturbatione vix ac ne vix quidem dolores ſuſtineret, Oratori, vt patet ex Bruto, non modo delectationi, verum etiam ſaluti fuit. Meminit quoq; illius operæ Cicero in Oratore his verbis: *Cognoſcat Orator rerum geſtarum & memoriæ veteris ordinem, maxime ſcilicet noſtræ ætatis; ſed & imperioſorum populorum & regum illuſtrium, quem laborem nobis Attici noſtri leuauit labor, qui conſeruatis notatiſque temporibus, nihil cum illuſtre prætermitteret, annorum ſeptingentorum memoriam vno libro colligauit. Neſcire autem, quid antequam natus ſis, acciderit, id eſt ſemper eſſe puerum. Quid enim eſt ætas hominis? niſi cum memoria rerum veterum cum ſuperiorum ætate*

contexitur. Commemoratio autem antiquitatis, exemplorumque prolatio, summa cum delectatione & autoritatem orationi adfert & fidem. Consimilia verò extruit Plutarchus ἐν παραμυθητικῷ ad Apollonium, instituens catalogum eorum, qui fortiter obitum suum tulerunt; dum amicum singularem in luctu & squalore versantem, quibuscunque potest rationibus, autoritatibus atque exemplis quasi iacentem excitat. Denique Poëtæ summi hunc finem historiæ nobilissimum consectati sunt, quemadmodum in Sophoclis Antigone, Chorus Antigonem exemplis consolatur: & Carmenta filium Euandrum, exulem & afflictum in primo Fastorum Ouidii versibus sequentibus erigit:

Nec tamen vt primus mæres mala talia passus,
Obruit ingentes ista procella viros.
Passus idem Tyriis, qui quondam pulsus ab oris,
Cadmus in Aonia constitit exul humo.
Passus idem Tydeus, & idem Pegasæus Iason,
Et quos præterea longa referre mora est.

Hæc cum dies & noctes omnia nos vndique fata circumstent, de consolationibus ex Antiquitate & Historia percipiendis ac hauriendis disseruisse sufficiat. Hactenus Franckenbergerus.

Prudentiæ Oeconom. & Polit. subordinatur Prudentia scholastica, cuius fundamenta itidem posita sunt in historiis scholarum & institutionis, quæ fuit ab initio mundi hucusque.

Ad Iurisprudentiam tanta eius vis est, vt nemo Iurisperitus fieri possit, qui non sit exquisitus Historicus; idque propter tres causas, primo, quia Iurispru-

Iuriſprudentia eſt ſubordinata prudentiæ Ethicæ, Oeconomicæ & Politicæ, totaque inde dependet, ita vt ſine ea nec comprehendi nec diſci, aut doceri dextre & fructuoſe poſſit. 2, quia Iuris regulæ & canones pendent à caſibus certis, prout omnes Iureconſulti ſolent eſſe diligentes in caſibus formandis; caſus autem vel ficti, vel veri ſunt; &, ſi veri ſunt, nihil aliud ſunt quam Hiſtoria; denique tertia cauſa eſt, quia Iurisprudẽtia omnino vt alibi à nobis probatur, in generalem & ſpecialem diſtingui debet. Specialis Iurisprudentia tota pendet ab Hiſtoria eius gentis, eius vrbis, eius municipii, cuius ſpeciale ius deſcribendum eſt.

Tantum de effectu Hiſtoriarum, quoad Prudẽtiam. Effectus earundem quoad artem elucet, inprimis tum in aliis artibus liberalibus & illiberalibus, quarũ autores excellentes artifices, & opera in hiſtoriis deſcribuntur, tum imprimis ad nobiliſſimam artem Medicinam, cuius principia poſita ſunt, partim in hiſtoriis Phyſicis, partim in hiſtoriis variorum & mirabilium caſuum & morborum, aut etiam ſanationis & curæ, prout etiam medici ſuas formant conſultationes & conſilia; quæ ſane hiſtoricis fundamentis nituntur, prout omnis alia conſultatio, ſiue ſit in prudentia, ſiue in arte. Et tantum de Effectis.

Caput V.

De Historiæ distinctione, seu partitione in genere.

Consequens est, vt partiamur Historiam; quæ quidem partitio sumitur, vel ratione materiæ, vel ratione modi.

Historiam recte posse partiri, id vero plurimum conducit ad eam fructuose legendam, & dextrè comprehendendam; quin & memoriam historicam imprimis iuuat, ita vt oporteat nos hîc quoque accuratam operam suscipere; vt tandem Historiarũ studiosi solidè intelligant, quomodo historia recte sit distinguenda, & subpartienda: atque adeo quis sit legitimus eius ordo ac series. Qua in re, etsi antehac diligenter laboratum sit ab aliis, sunt tamen non pauca, quæ merito quis desideret; sunt etiam nonnulla quæ reprehẽdat: quale quidem est illud inprimis, quod plurimi diuidant Historiam in quatuor partes, nixi authoritate Eustathii, nempe in τὸ τοπικὸν, quæ consistit in locorum cognitione. Deinde in τὸ χρονικὸν, quæ versatur in temporum obseruatione; tertiò, in τὸ πραγματικὸν, quæ versatur in rerum ipsarum Historicarum tractatione; denique quarto, in τὸ γενεαλογικὸν, vbi explicantur familiæ, quæ in imperiis rerum positæ sunt. Quam quidem partitionem Historiæ præ aliis magnifecit & secutus est *Reinerus Reineccius*, tum in Methodo Historica, tum etiam in Syntagmate, putauitque se ita rectissime totum historiæ corpus dispositurum, si eam partitionem, quam accuratissime teneret: verum quod

pace

pace tanti historici dixerim, non est ea legitima historiæ diuisio, neque vnquam veram Methodum ex ea in historiis capessemus; sed meram confusionem. Instrumenta enim historicæ explicationis siue tractationis, non possunt esse partes historiæ tales, quæ ipsam tractationem in membra dissentanea diuidant: quod autem Chronologia, Topographia, & Genealogia sint argum. Logica, quibus instituitur explicatio Logica singularium rerum, quæ *explicatio* dicitur *Historia*, id supra perspicuè ostendimus. Accedit, quod hac ratione confundatur historia, cum disciplinis diuersis ab Historia, & ante historiam præcognoscendis, cum disciplina Geographica, quæ continet τὸ τοπικόν, & cum ea parte Astronomiæ, quam ortam soleo appellare, & quæ tractat de Temporum distinctionibus, atque adeo continet τὸ χρονικόν. Sed & illud argumentum refellit hanc diuisionem, quod tertia pars, quam τὸ πραγματικὸν appellat, alterius planè sit naturę, quam reliquæ tres partes, & contineat in se ipsum nucleum historię, cum reliquæ partes tantum huic pragmatico vel ut instrumenta subseruiant. Iustus Lipsius Centuria Miscellanea Epistolarum, Epist. 61. *Historiæ,* inquit, *summa diuisio est in* μυθιστορίαν, *&* ἱστορίαν: *illa est quæ fabulas vero mixtas; ista quæ purum & merum verum habet. In illa Poetæ sunt, & id genus, qui oblectamenta auribus animisque quærunt, & florida ista veste ornant atq; augent corpus hoc veritatis. Veteres poëtæ, & rex eorum Homerus pulchrè & sæpe utiliter fecerunt, cũ arcanos sensus, & altiora dogmata, hoc quasi velo obnubunt & tegunt. Altera,* inquit, *est vera historia, quam licet bifariam partiare, est naturalis,*

est narratiua, sit venia sic loquenti, plane si non pure. Illa est, quæ naturæ faciem & facta reuelat, id est, rerum, stirpium, animalium, ingenia proprietates, vires, tradit. Aristoteles, Theophrastus, Ælianus, Plinius fecere & plures, quos æuum nobis subduxit. Narratiuam dico, quæ res gestas prodit sacras, siue profanas, ideoque à duplici hac materie iterum duplex, diuina & humana; illa quæ religionẽ, aut quod adhæret, tangit; hæc quæ res plurimum actionesq; humanas; iterumque ea duplex, priuata & publica: nam aut singulorum res, vitam, virtutes, vitia recenset & priuata est, aut quæ publicè plurium vsui aut noxæ sunt gesta; & publicam appello. Omnes vtiles. Proprie tamen & distinctè naturalis scientia diuina religionem, humana prudentiam, omnis delectationem habent. Magnam speciem [prout omnia in huius viri scriptis] videtur habere ista arguta diuisio historiæ; sed si ad Logicam stateram appendamus, facile apparebit, esse tria grauia peccata in hac partitione; quorum primum est, quod fabulosas & poëticas explicationes faciat speciem Historiæ, cum tamen Historia, vt supra demonstrauimus, sit quiddam Logicum, atque adeo pro essentiali proprietate habeat purũ & simplex verum. Vnde & Aristot. lib. De re poetica, dicit Historiã à Poësi in eo differre maxime, quod Historia narret talia, quæ reuera gesta sunt. Poesis autem non vt gesta sunt, sed vt geri potuerint aut debuerint.

Alterum huius diuisionis peccatum est, quod scientiam Physicam confundat cum Historia, atque adeò Historiæ vocabuli ambiguitatem historiæ diuisioni immisceat, cum tamen omnis diuisio rei, præsupponat distinctionẽ vocabuli: sumitur

mitur hiſtoria, quod ſupra monuimus, pro quauis doctrina, atq; adeo etiam pro ſcientia phyſica, proq; eius parte, quæ tractat, de Animalibus, ſtirpibus, gemmis, metallis, &c. Sed hinc non ſequitur, Ergo ſcientia Phyſica eſt hiſtoriæ ſpecies, cum ſcientia tractet vniuerſalia, hiſtoria vero tantum ſingularia.

Tertium erratum eſt, quod Hiſtoriam narratiuam, vt vocat, diſtinguat in *diuinam* & *humanam*: & humanam in *priuatam* & *publicam*, cum tamen æquè diuina ac humana ſit vel priuata, vel publica; quia non tantum in hiſtoriis humanis, ſed etiã in diuinis, duplicia themata ſingularia tractentur, nẽpe vel priuata, vt cũ in hiſtoriis Biblicis ſubinde de priuatis perſonis aliquid narratur, & in hiſtoria Eccleſiaſtica frequentiſſimum hoc eſt, attingere priuatas perſonas, virorum, puerorum, adoleſcentum, virginum, matronarum, à quibus ſingularia pietatis & conſtantiæ exempla ſint edita; cum tamen non fuerint perſonæ publicæ, nec quicquam pertineat ad ſtatum publicum Eccleſiæ.

Deinde tractantur in hiſtoria diuina eiuſmodi themata ſingularia, quæ publicum ſtatum Eccleſiæ attinent, & hæc eſt hiſtoria Eccleſiaſtica publica, ſicut altera erat priuata. Quæ cum ita ſint, dabitur nobis, vt ſpero, venia ab æquis lectoribus, quod iuuentutem moneamus candidè, ne huius tanti viri authoritate abducantur à dextra & legitima hiſtoriæ partitione.

Supereſt, vt examinemus diuiſionem Bodini, Beureri & aliorum, quorum ſcripta ſunt in omnium manibus, ita vt facilè turbare poſſint iudi-

cium studiosæ iuuentutis, & historicæ lectionis ordinem inuertere, nisi diligens instituatur admonitio. Et quod ad Bodinum attinet, is cap. 1. Methodi Hist. ita inquit: *Historiæ, id est, veræ narrationis tria sunt genera: Humanum, naturale, diuinum. Primum ad hominem pertinet, alterum ad naturam; tertium, ad naturæ parentem: Vnum actiones hominis in societate vitam agentis explicat; alterum causas in natura positas earumq; progressus ab vltimo principio deducit. Postremum, præpotentis Dei animorumque immortalium in se collectam vim ac potestatem intuetur.* Et paulò post vtitur subdiuisione humanæ historiæ, eaque duplici; prior est, cum inquit: *Humana historia communis est aut propria: hæc vnius hominis aut dicta aut facta memoratu digna complectitur, communis plurium hominum vel ciuitatum gesta narrat; idque bifariam, aut enim plurium populorum, puta Persarum, Ægyptiorum, Græcorum,* &c. *aut omnium, quorum modo res gestæ proditæ sunt, vel maximè illustrium.* Subiungit deinde alteram subdiuisionem, his verbis: *Quod item multis modis fieri solet, cum vnius temporis, diei, mensis, anni, vnde Ephemerides & Annales dictæ, aut ab ortu cuiusque ciuitatis, vel ab extrema memoria, vel ab orbe condito Rerump. initia, incrementa, status, conuersiones, exitus, memorantur: quod bifariam quoque fit, nempe breuiter aut copiosè, ex quo nomen habēt Chronica, & Chronologiæ.* Sub finem autem capitis, *si quis nolit,* inquit, *cum naturalibus disciplinis Mathematicas confundere, quatuor constituet genera historiarum, humanam quidem incertam, & confusam: Naturalem certam, interdum dicitur materiæ & mali genii contagione incertam, & sui dissimilem Mathematicam,* quod

quod à concretione materia libera sit, certiorem. Postremo diuinam certissimam, & suâ naturâ planè immutabilem. In qua quidem clarissimi Bodini doctrina, istos defectus animaduerto; 1, inconstantiam, quod modò sic, modò aliter diuidat, & initio tres, postea quatuor species faciat. 2, Quod ea, quæ ad hominem pertinent, remoueat à naturali historia, cum tamen historia hominis etiam possit esse naturalis; quando, nempe aliquid narratur de homine, vt de specie corporis naturalis. E.g. de hominis generatione, de monstris humanis & similibus naturalibus: neque enim homo tantum cõsideratur Ethicè, Oeconomicè, & Politicè, sed etiam Physicè. 3, Defectus est, quod historiam confundat cum disciplinis propriè dictis, nempe cum Physica, dum inquit; *Naturalem historiam deducere causas in natura positas.* & per totum caput apparet quod Bodinus doctrinam Physicam non distinxerit ab historia Physica; qui defectus etiam est in tertio genere, nempe in diuina Historia, vbi cõfundit Theologiam, Theosophiam, Pneumatologiam, cum Historia continente illarũ disciplinarum exempla. Similiter sensisse videtur de 4. genere, quod postea addit, nempe de Mathematico, quod dicit esse liberum à concretione materiæ; id quod non competit historiæ Mathematicæ, sed ipsi scientiæ. 4, defectus est, quod humanam historiam diuidat in communem & propriam, cum tamen ea distinctio competat omni historiæ, quod ipse Bodinus postea agnoscit, & seipsum corrigit, inquiens: *Superior illa partitio* (nempe in communem & propriam) *naturali ac diuinæ historiæ peræquè congruit, cum vel vnius religionis, scili-*

cet Christianæ vel plurium, vel omnium, aut maxime illustrium progressus & origines memorantur: Consimiliter vnius rei naturalis historia colligi potest, puta vnius stirpis aut animantis, vel omnium stirpium aut animantium, quales sunt Historiæ Theophrasti & Aristotelis, aut etiam omnium elementorum, quæque ex his conflantur corporum, vel denique totius naturæ descriptio, qualem Plinius complexus est: Ex quibus verbis Bodini disertè apparet, eum ambiguitatem vocabuli Historiæ nō satis quidem considerasse, quod & ante notauimus in Lipsio, atque adeò scientiam Physicam pænitùs confudisse cum historia, & commiscuisse vniuersalia cum singularibus.

Vltimus defectus huius partitionis est, quòd diuisio non sit adæquata diuiso, quodque adeò multas historiæ species omittat, vt apparebit ex iis diuisionibus quas daturi sumus.

Beurerus in Synopsi Historiarum: *Historia*, inquit, *duplex est, diuina de Deo, deque rebus diuinis; & naturalis, de omnibus rebus creatis, eorumque viribus & actionibus: Historia autem naturalis duplex est; generalis totius, nempe vniuersi, siue mundi, & partium eius, qualem Historiam Plinius in diuino suo opere complecti voluit, vel specialis, de Homine, tanquam mundo minori. Et hæc specialis, siue humana historia iterum duplex, Vniuersalis & Particularis. Vniuersalis est, quæ commemorat res vniuersas; eaque rursus vel Ecclesiastica, vel Politica: Particularis historia est vel plurium hominum, aut ciuitatum, aut omnium, vel maxime illustrium.* Hanc diuisionem pænitus retinet Philippus Glaserus in Syngrammate Historico. Sed & ipsa laborat magnis defectibus, & propè iisdem, quibus Bodiniana, ex qua videtur ex-

tur extructa, ita vt non necesse sit in ea examinanda diu immorari. Magnus ille vir & historicus *Caspar Peucerus*, in tabula de ordine seruando in legenda historia, quæ addita est recentioribus editionibus Chronicis Philippi, Historiam diuidit in vniuersalem & particularem. Vniuersalem appellans, quæ complectitur res Ecclesiæ & Monarchiarum, vnde & diuiditur in Ecclesiast. & Politicam. Particularem verò Historiam appellant, quæ recitat particularia diuersorum regnorum & Rerump. quæ fuerunt tempore primæ, secundæ, tertiæ Monarchiæ, & adhuc sunt sub quarta. Sed & ista diuisio laborat; nam primo, non est adæquata & sufficiens; omittuntur enim multæ species Historiarum, quas postea recensebimus, secundò etiam hoc defectu laborat, quod particularem historiam tantum restringat ad Politicam, cum tamen etiam sit particularis Historia Ecclesiastica, vt de Ecclesiis Græcis, Germanicis, Polonicis, &c. Sic etiam particularis Historia, Oeconomica, Politica, Scholastica, & sic deinceps per alias disciplinas. Et hactenus quidem aliorum diuisiones examinauimus, consequens est vt nostras addamus.

CAPVT VI.

De distinctione Historiæ ex re, siue materiali, quod explicat.

D*Iuiditur autem historia vel ex re, siue materia quam narrat, vel ex modo quo narrat.*

Ex re quidem, siue materia diuiditur in separatiorem & combinatiorem.

Separatiorem voco, quæ narrat Themata separatiora singularia.

Estq; vel vniformis, vel mixta.

Vniformis est, quæ explicat vnum aliquod Thema singulare.

Estque vel Substantialis, vel Accidentalis.

Substantialis est, quæ explicat thema substãtiale.

Estque vel substantiæ inanimatæ, siue non viuæ, vel viuæ.

Historia substantiæ non viuæ, est quæ explicat singularia cæli, elementorum, metallorum, gemmarum, &c.

Historia substantiæ viuæ est vel spiritus, vel corporis.

Historia spiritus est, quæ aliquid narrat de Deo, deque angelis bonis aut malis.

Historia corporis viui est vel irrationalis, vel rationalis.

Historia corporis viui irrationalis est vel plãtarum, vel brutorum; nempe non quoad vniuersalia præcepta, sed quod ad singularia exempla, vt iam aliquoties monuimus.

Historia corporis viui rationalis est, quæ proponit singularia exempla de homine.

Eaque distinguitur vel ratione naturæ & sexus, quæ

xus, quæ nempe aliquid narrat de homine, quâ homo absolutè, vel etiam ratione ætatis, nempe infantiæ, pueritiæ, iuuentutis, ætatis virilis, senectutis, vel denique comparatè ratione status, quatenus nempe homo est persona vel priuata vel publica.

Huc pertinent vitæ quas Plutarchus & alii descripserunt.

Canon de Historia hominis est:

Quod nempe contineat, non tantum thema simplex, sed & Thema coniunctum, vt si fortè narretur aliqua disputatio aut colloquium inter hominem & hominem, id quod etiam de Deo & angelis intelligi debet.

Historia Thematis Accidentalis est vel vnius accidentis, vel plurium inter se collectorum, vt belli & similium.

Canon de Historia accidentalis Thematis est:

Quando narrantur singulares actiones aut passiones, tũ distinguendi sunt in Historia certi gradus, quibus actio & passio velut intenditur, & qui tres numerantur Græcis vocabulis, vid. πρότασις, ἐπίτασις, & καταστροφή.

Historia mixti Thematis est, quâ narrantur plura Themata singularia vel substantialia, vel substantialia & accidentalia simul.

Tantum de Historia separatiori.

Combinatiorem Historiam appello eam, quæ reducitur ad certam aliquam disciplinam.

De hac Canon est:

Quot sunt disciplinæ, tot sunt species Historiæ, paucis quibusdam disciplinis exceptis, & penè sola Metaphysica.

Sicut ergo disciplina est vel communissima, siue catholica, vel particularior, ita quoque Historia est vel pertinens ad communem disciplinam siue catholicam, vel ad disciplinam aliquam particularem.

Ego, si Deus vitam dederit, suo tempore ostendam, quum nondum rectè subductus sit calculus & numerus disciplinarum, & quàm necessaria sit communissima illa, & quasi suprema disciplina, quā distinctionis causa libet *Catholicam* vocare, & ad quam pertinent historiæ de singularum disciplinarum inuentoribus, propagatoribus, patronis, itemque de libris & Bibliothecis.

Minus communis atque adeò particularis disciplinæ Historia, pertinet vel ad disciplinam nobiliorem, vel ad ignobiliorem.

Historia nobilioris disciplinæ iterum pertinet, vel ad instrumentalem vel ad principalem.

Historia pertinens ad disciplinam instrumentalem refertur vel ad linguam tantùm, siue ad Grammaticam, siue ad sermonem & res simul,

mul: nempe ad Logicam, Rhetoricam, Poëticam.

In omnibus enim his disciplinis sunt historiæ, vt in Grammatica, historiæ de linguarum varietate, inuentione, mutatione. In Logica de præstantibus disputatoribus, sophistis. In Rhetorica, de præstantibus oratoribus. In Poëtica, de Poëtis.

Historia pertinens ad disciplinam principalem refertur vel ad contemplatricem, vel ad operatricem.

Historia pertinens ad contemplatricem disciplinam, iterum refertur ad primam, quæ est Theosophia, vbi tractatur de Deo absolutè, vel ad secundam, eamque vel ex toto contemplatricem vel ex parte.

Historia pertinens ad disciplinā ex toto, contemplatricem, est vel Pneumatologica, quô pertinent historiæ de Angelis bonis aut malis, itemque historiæ de animabus separatis à corpore.

Historia pertinens ad contemplatricem ex parte, siue ad Mathemat. iterum refertur vel ad Mathem. primam, vel ad ortam: & in prima, vel ad abstractam, quô pertinent Historiæ Geometricæ & Arithmeticæ; vel ad concretam, quô pertinēt historiæ Astronomicæ, Astrologicæ, Geographicæ, Opticæ, Musicæ. Vel ad ortam, quô pertinent historiæ Geodeticæ & Architectonicæ.

Tantum de Historia pertinente ad contemplandam disciplinam: Sequitur Historia pertinens ad operatricem, quæ refertur vel ad prudentiam, vel ad artem.

Historia pertinens ad prudentiam, refertur vel ad subordinantem, vel ad subordinatam.

Historia pertinens ad prudentiam subordinantem, refertur vel ad prudentiam moralem, vel ad religiosam.

Historia pertinens ad prudentiam moralem, est vel communior, vt Ethica historia, vel magis specialem, & hæc est vel Oeconomica, vel Politica historia.

Oeconomica historia est, quæ continet exempla prudentiæ Oeconom. tam generalia, quam specialia, vt Oeconom. Hebrææ, Græcæ, Romanæ, Germanicæ, Polonicæ, &c.

Canon de Historia Oeconomica est:

Quod hactenus pænè fuerit neglecta, cum tamen sit summæ vtilitatis, si præsertim specialiter deducatur, ita vt in Idæa specialis Oecon. ostendit Apparatus noster Practicus.

Historia Politica est, quæ continet exempla prudentiæ Politicæ.

Historiæ Politicæ dispositionẽ magna diligentia quæsiuit *Reinerus Reineccius*, in Methodo Historiarum, vbi quidem Hist. Polit. disponit; 1, in genere:

genere: 2, secundum res ipsas Polit. quas triplices facit; 1, res gentium seu populorum, in quibus dicit narrari de gẽtium originibus, migrationibus, sedibus diuersis, coloniis, rebus gestis, pace & bello, moribus, religione & ritibus, denique excidiis, 2, res personarum, nempe earum virtutes, vel vitia, aut insignes casus, denique res Politiarum, quarum dicit considerari in historiis initia, incrementa, quæ vtraque cõstãt labore & disciplina. 2, Status, sub quo dicit contineri leges, legislatores, magistratus & ordines. 3, Conuersiones, & denique excidia: sed ista partitio vt parum habet methodi, quod testari possit Systema nostrum Polit. ita etiam in eo laborat, quod ista generalia à specialibus seiungi non possint, cum nullæ sint res generales, siue vniuersales in Historia, idcirco si velimus de gẽtium originibus, migrationibus, coloniis, ex historiis cognoscere, necesse est, vt de migrationibus, coloniis huius vel illius gentis in specie cognoscamus. Itaque melior est diuisio, quam postea affert Reineccius, ex ipsa nempe serie specialium Politiarum, quam seriem ita diligenter contexuit iste autor, vt neminem viderim qui palmam ei in hac parte præripiat; ita vt vtilissima sit ea ipsius opera, non tantum ad historicum studium, sed etiam inprimis ad studium Polit. speciale. Præcipuas enim Politias speciales ab initio mundi hucusque conuenienti ordine disposuit. Cum autem iste liber Reineccii editus sit anno 83. existimarim hunc autorẽ adiutum esse opera magni illius Peuceri, qui in tabulâ præfixâ recentibus editionibus Chronici Philippi, plane eâdem serie Politias totius orbis disponit. Elias

autem Reusnerus in Isagoge sua Historica, post Peucerum & Reineccium, in eodem argumento occupatus, laudabiles admodum tabulas concinnauit, quibus Politiarum seriem aptè disponit, addito, vbi haberi potuit, temporum notatione; quas quidem tabulas, vt decreui inserere Polit. Speciali, vbi Deus dederit eam à nobis pertexi; ita visum est haud præter rem futurum, si ad plenius intelligendam partitionem Historiæ Polit. his quoque præcognitis nostris Historicis inserantur, quibus, si quis addere velit eam partem tabulæ Peucerianæ, quâ Polit. historia disponitur, haud luserit operæpretium.

Historia Politica est vel perfectioris status, vel imperfectioris.

Perfectioris status historia Politica est, quæ narrat de Monarchiis, siue de rebus singularibus pertinentibus ad statum Monarchicum. Et hæc iterum est vel generalior, vel particularior.

Generalior est, quæ omnes Monarchias, nempe primas illas & summas complectitur, eo ordine quo ostendit prima tabula Reusneriana, quæ huc debet ascribi.

REGNORVM MVNDI DIVISIO.

- Imperia, seu regna mundi, sunt aut
  - καθολικά, vniuersalia, & summa, quæ *Monarchia* vsitatè vocãtur, nempe in
    - Asia
      - I. Assyriacum
        - Integrum cœpit 1789.
        - Diuisum in
          - Babylonicum, siue Chaldaicum, cœpit 3150, durauit annos 285.
          - Medicum cœpit 3149. durauit annos 309.
      - II. Persicum, cœpit 3435, durauit annos 207.
    - Europa
      - III. Græcum, seu Macedonicum
        - Integrum cœpit 3642.
        - Diuisum in
          - Macedonicũ 3648, durauit ann. 256.
          - Asiaticum 3650, durauit 259.
          - Syriacum 3661 durauit 248.
          - Ægyptiacum 3548, durauit 295.
      - IV. Romanum
        - Integrum cœpit A. M. 3924.
        - Diuisum in
          - Orientale, quod & Cõstantinopolitanum, A. C. 337, durauit 1115.
          - Occidentale 337, durauit annos 138. tandemq; per Carolũ M. cessit Germanis.
  - μερικά seu particularia, siue inferiora: cuiusmodi sunt reliqua Regna, Dynastiæ, Respub. Ducatus, Comitatus, &c.

De errore omnibus historicis hoc loco communi, dum nempe vniuersalem Historiam eam vocant, quæ est Politica generalis, & complectitur quatuor Monarchias, de eo monebitur vberius cap. sequenti.

Particularior est, quæ vnam aut alteram tãtum ex istis summis Monarchiis complectitur, vt vel solam Chaldaicam, vel Chaldaicam & Persicam, vel solam Græcam & Romanam.

Historia Politica imperfectior est, vel ratione materiæ, vel ratione formæ.

Ratione materiæ imperfectior est, quæ regna siue Monarchias non primas illas & summas, sed inferiores & minores complectitur.

De hac Canon est:

Regnorum seu Monarchiarum minorum series, rectè reducitur ad seriem Monarchiarum summarum.

Id quod benè obseruatum à *Peucero*, *Reineccio*, & *Reusnero*, ita vt hoc loco eo labore subleuemur, & debẽt huc ascribi tabulę reliquæ Reusnerianæ, nempe 2, 3, 4, & 5. cum hac tamen cautione, vt vel mente, vel etiam tabulis seiungamus Politias imperfectas ratione formæ, vt sunt Aristocratiæ, Democratiæ, & mixtæ, eæ enim huc nondum pertinent, vbi agitur de Historia Polit. imperfectarum, quoad materiam seu amplitudinem.

Primæ Monarchiæ tempore floruerunt

- Regna in
  - Asia
    - Israeliticum
      - Integrum, cœpit 2881.
      - Scissum in
        - Hierosolymitanum tribus Iudæ 2971. durauit ann. 394.
        - Samaritanum decē tribuum 2971, durauit annos 262.
    - Chananæum.
    - Moabiticum, Ammoniticum, Palæstinum.
    - Midianiticum, Idumæum, Syriacum.
    - Phœniceum, Sydoniorum & Tyriorum.
    - Troianum cœpit 2988, durauit 300.
    - Phrygium, Mysium, Lycium.
    - Lydium, circa 2500.
    - Amazonicum, circa 2070.
  - Africa
    - Ægyptium, cœpit 1953, durauit 1494.
    - Cyrenaicum, circa 3307.
    - Æthiopicum, circa 1807.
  - Europa
    - Sicyonium, cœpit 1880, durauit 962.
    - Argiuum, cœpit 2112. durauit 544.
    - Mycenæum, cœpit 2639.
    - Spartanum Heraclidarum, cœpit 2871.
    - Messeniacum, Arcadicum, Eleum.
    - Corinthiacum, cœpit 2871. durauit 322.
    - Atticum, cœpit 2412, durauit vsque ad Archontes 490, vel vsque ad Democratiam 827.
    - Thebanum, Locrense, Doriense, Phocense.
    - Oechaliense, Ætholicum, Phthium, Scycium.
    - Ægineum, Salaminium, Cephalenium.
    - Thessalicum, Euboicum, Pelasgicum,
    - Latinum, cœpit 2789.
    - Albanum, cœpit 2820, durauit 400.
    - Romanum, cœpit 3220, durauit 245.
    - Tyrrhenum, seu Thuscū 1708, durauit 1891.
    - Celticum, cœpit 1865.
    - Celtibericum in Hispania circa 1801.
    - Teutonicum, cœpit 1812.
- Dynastia vnica, Iudaica 2492. durauit annos 397.
- Respublicæ nullæ.

Secundæ Monarchiæ tempore floruerunt

- Regna in
  - Asia
    - Caricum, circa A.M. 3440.
    - Cilicium,
    - Salaminium Cypri,
    - Bosphoranum.
  - Africa Ægyptium, cœpit 3540. durauit annos 81.
  - Europa
    - Macedonicum, Lyncestarum 3165.
    - Thracicum, Odrysarum,
    - Pannonicum, Scythicum.
- Respublicæ in
  - Africa; Carthaginensis.
  - Europa
    - Attica, cœpit 3190.
    - Thebana,
    - Æginea,
    - Romana, cœpit 3464. durauit annos 460.
- Tyrannides in
  - Asia
    - Samia,
    - Heracliensis.
    - Sinopensis.
  - Africa, Cyrenaica.
  - Europa
    - Sicyonia,
    - Corinthiaca,
    - Argiua,
    - Attica, cœpit à Pisistrati Tyrannide 3405.
    - Siculæ
      - Syracusana,
      - Agrigentina,
      - Leontina.
    - Thessalicæ, & præcipuè Pherea.
    - Rhegina.
- Dynastia, sola Iudæorum, cœpit A.M. 3435, durauit annos 445.

Tertiæ

- Tertiæ Monarchiæ tẽpore floruerunt
  - Regna in
    - Asia
      - Cappadocicum, cœpit circa 3400.
      - Ponticum, cœpit circa 3460.
      - Bythinicum, cœpit 3650.
      - Medicum Atropatenes 3649.
      - Pergamenſe, cœpit 3689.
      - Armeniacum, circa 3760.
      - Parthicum Arſacidarum, cœpit 3725.
      - Bactrianum 3630.
      - Iudaicum, cœpit 3870. durauit ann. 65.
      - Comogenum, Indicum.
      - Arabicum, Paphlagonicum,
      - Ibericum, Albanicum,
      - Colchicum, Chalcidicum,
      - Adiabenicum, Edeſſanum,
      - Ituræum.
    - Africa
      - Cyrenaicum,
      - Numidicum, circa 3720.
      - Mauritanicum 3760.
    - Europa
      - Moloſſicum Epiri, circa 2800.
      - Illyrium,
      - Acarnanicum Athamanum,
      - Britannicum.
  - Tetrarchia, ſola Galatica in Aſia.
  - Reſpublicæ in
    - Aſia, Rhodia.
    - Europa
      - Achaica,
      - Ætolica,
      - Maſſilienſis,
      - Romana, cœpit 3464, durauit 460.
  - Tyrannides in
    - Aſia, Cybyrea Piſidiæ.
    - Europa
      - Spartana,
      - Arcadica,
      - Athenienſis,

Quartæ Monarchiæ tempore floruerunt

- Regna in
  - Asia,
    - Parthicum, cœpit A.C.17. durauit 209.
    - Persicum, cœpit 227. durauit 305.
    - Saracenicum, cœpit 622. durauit 248.
    - Hierosolymitanum, conditum à Godefrido Bullio-neo, 1099. durauit 88.
    - Cyprium familiæ Lusignanæ, cœpit 1192.
    - Armeniacum, Indicum, Tartaricum, 1200.
    - Turcicum familiæ Trangolipecis, cœpit 1052. dissolutum inde in diuersorum Sultanorum πολυαρχίαν, & præsens Othomannorum, cœpit 1300.
  - Africa,
    - Vandalicum, cœpit 382. durauit 153.
    - Ægypticum Calypharum & Sultanorum.
    - Tunetanum, Morocense, Fesanum,
    - Tremissanum, Æthiopicum, PretaJanis.
  - Europa
    - Gothicum duplex:
      - Ostrogothorum in Italia, cœpit 493. durauit annos 60.
      - Westgothorum in Hispania, cœpit 411. discerptum exinde in alia multa 739.
    - Longobardicum, cœpit 570, durauit 204.
    - Neopolitatanum cœpit 1282. Siculum, cœpit 1130.
    - Francicum seu Gallicum cœpit 419.
    - Burgundicum, cœpit 890, durauit 142.
    - Anglicum cœpit 449. Scoticum A.M. 3640.
    - Danicum, Suecium, Noruegicum.
    - Saxonicum, circa A.M. 3890. Bauaricum 459.
    - Sclauicum Obotritarum, circa A.M. 3750.
    - Morauicum, dehinc mutatum in Bohemicum 1086.
    - Polonicum circa 800.
    - Vngaricum, cœpit 997. Bulgaricum.
    - Bosnense, Russicum, Moschicum.
    - Saracenica aliquot in Hispania.
- Electoratus 998.
- Ducatus in Germanico imperio, & aliis præcipuis regnis, varii.
- Exarchatus, Rauennas præfectorum Byzantinorum, cœpit 569. durauit 182.
- Respublicæ præcipuæ, Veneta, Genuensis, Heluetica.

Historia

Historia imperfectarum Politiarum, quoad formã, est vel simplicium, vel mixtarum. Simplicium, vt Aristocratiarum & Democratiarum. Mixtarum nempe, vel ex tribus formis, Monarchia & Aristocratia & Democratia; vel ex duabus, vt Aristocratia & Democratia, aliisque speciebus temperaturæ, de quibus in Politicis.

De his Canon est:

Historia Politiarum imperfectarum, quoad formam, seriem suam sumit à Politiis, quoad formam perfectis; itaque Resp: Aristocraticæ, Democraticæ & mixtæ disponuntur ordine regnorum, sub quibus, aut cum quibus fuerunt.

Quod quidem etiam factum est ab illis tribus auctoribus, quos nominaui; sed, vt monui, non fuerit inutile peculiares tabulas construere, ad seriem imperfectarum formarum monstrandam, siue potius illa tantum, quæ Reinerus disposuit de Rebuspub. imperfectis seiungere à reliquo corpore Tabularum.

Distingui etiam possit Historia Politica in historiam status pacati, & historiam status turbati; quia sæpe historici tantum suscipiunt narrationem seditionum, bellorum, & statum pacatum non attingunt.

Tantum de Historia pertinente ad prudentiam moralem, siue Politicam & ciuilem. Sequi-

tur historia, pertinens ad prudentiam religiosam, quæ Ecclesiastica *dicitur.*

Non parum etiam diligentiæ præstitit Reineccius, in disponenda hist. Ecclesiastica, quamuis non tantum, quantum in Politica; omissis enim Ecclesiarum particularium distinctionibus summè necessariis, tãtum persequitur materias, quas putat ad historiam Ecclesiasticam pertinere, easque decem constituit. 1, Ecclesiæ primordia, quæ subdiuidit in nouem cap. 2, Ecclesiæ conseruationem & propagationem perpetuam. 3, Sedem. 4, appellationes. 5, doctrinam. 6, ceremonias, sub quibus comprehendit sacramenta. 7, Doctores, quorum decem classes facit. 8, certamina hæreses & schismata, quô refert cõcilia & Synodos. 9, Afflictiones, seu persecutiones: 10, Disciplinam, cuius duas partes facit. 1, εὐταξίαν rituũ; deinde pœnas ecclesiasticas. Sed in ista methodo non multum est methodi, & idem desideratur, quod in methodo Polit. materiarum ante desiderabamus. Itaque melior est distinctio historiæ Ecclesiasticæ, secundum tempora certa; quam distinctionem Reineccius laudat, & Peucero acceptam expresse fert: qui volet legat Tabulã Caspari Peuceri superioribus annis editam.

Historia Ecclesiastica pertinet vel ad fidem, vel ad vitam religiosam.

Historia quoad fidem, propriè est ea, quæ pertinet ad Theologiam, à nobis peculiariter sic dictam, & distinctam, tum à Theosophia, tum à

Pneuma-

Pneumatologia, tum etiam ab ea disciplina, quæ pertinet ad vitam religiosam.

Huc pertinet historia de Christi natiuitate, miraculis, passione, morte, ascensione, &c.

Historia Ecclesiastica pertinens ad vitam religiosam, est vel generalior, vel specialior.

Generalior iterum est vel communior, vel magis propria.

Communior est, quæ pertinet ad vitã Christianam in genere.

Magis propria est, quæ pertinet ad vitam Christianam in specie, nempe ad vitam Christianam Oeconom. Deinde ad vitam Christianam Polit. Denique ad vitam Christianam in ipso statu Ecclesiastico; quô pertinent historiæ de ceremoniis, ritibus, templis, de synodis, conciliis, presbyteriis, pœnis Ecclesiasticis, &c.

Particularior historia Ecclesiastica est, quæ de Ecclesiis huius vel illius loci agit.

Et hæc iterum est vel superior vel inferior.

Superior est, quæ pertinet ad Ecclesias vetustiores & præcipuas, quarum seriem disposuit Peucerus in prima parte Tabulæ, quæ pars tabulæ huc asscribenda est.

***

Historia Ecclesiastica particularis inferior est, quæ pertinet ad Ecclesias posteriores & recentiores.

Sed hæc iterum vel prima, vel orta.

Prima, quæ pertinet ad Ecclesiam Græcam & Latinam.

Orta, quæ pertinet ad Ecclesias adhuc posteriores, & velut à Græcis & Latinis plantatas.

De hac Canon est:

Ordo & series Ecclesiarum particularium, disponi debet secundum ordinem Politiarum, suprà monstratum.

Est enim Ecclesia alia regnorũ integrorum, eorumque vel sub 1, 2, 3, 4, monarchia, vel est Ecclesia minorum Politiarum, atque adeò imperfectarum, vel ratione materiæ, vel ratione formæ: vbi tandem perueniemus ad Ecclesias particulares regnorum quatuor Monarchiæ principalium, comitatuum, Rerump. ciuitatum, oppidorum, pagorum, &c.

Sicuti Historia Politica, ita quoque Ecclesiastica distingui potest in eam, quæ est status pacati, & in eam, quæ est status turbati.

Ad statum turbatum pertinent Ecclesiæ occultæ & latẽtes, vt fuit ante annos 300 Ecclesia Waldensium, cuius historiam integram post omnes alios Historicos dudum cõtexui magna diligentia, recogniturus, & fortè etiam in lucem editurus,

editurus, Deo vitam & mediocrem valetudinem clementer indulgente. Pertinent eô etiam persecutiones Ecclesiæ, martyria item, siue historiæ martyrũ, dignissimæ quæ ab omni Christiano homine legantur, cum post S. Bibliorum historiam, nulla sit, quæ cor nostrum magis afficere & cõmouere possit. Pertinent eò etiam historiæ de Apostasiis, de hæresibus, de schismatibus, certaminibus Ecclesiasticis, item de bellis sacris, item de Ecclesiarum translationibus & euersionibus: tales enim historias status turbati multi historici separatim perscripserunt.

Tantum de Historia prudentiæ subordinantis. Historia prudentiæ subordinatæ est tum Iurispr. Historia, tum Historia Scholastica, siue pertinens ad scholas.

Historia Iurisprudentiæ iterum est vel Ciuilis iuris, vel Ecclesiastici siue Canonici, vt vocant: vbi narrantur exempla singularium casuum & processuum, & consiliorum, quæ in vtroque iure commemorari possunt.

Sicut autem Politica & Ecclesiastica prudentia, est vel generalior vel specialior; ita quoque prudentia iuris, quæ eodem modo diuidi debet, vt Ecclesiæ & Politiæ particulares; ita nempe vt particularium casuum, actionum, consiliorum, processuum, in particularibus Politiis vel Ecclesiis huc referantur.

Historiam iuridicam de præcipuis Iurisconsultis edidit *Forsterus*, quæ suo tempore consuli potest. Censura autem & processuum specialium exempla passim reperiuntur in iis, qui consilia iuris ciuilis aut Canonici scripserunt.

Systema nostrum prudentiæ Scholasticæ, in quo iam nunc non parum elaborauimus, ostendet, Deo volente, quanta & quam diuina & necessaria sit hæc disciplina, & quam à nemine adhuc dextre tradita, adeoque etiam indicabit, quomodo hæc prudentia subordinetur Ethic. Oeconom. Polit. & Ecclesiasticæ, quomodo item diuidatur perinde vt illæ in generalem & particularem, siue specialem; de quo breuiter sufficiat hîc historiarum studiosos monuisse, vt intelligant distinctionem historiæ Scholast. quæ tota pendet à distinctione ipsius prudentię Scholasticæ.

Est autem Historia scholastica, vel generalior, vel particularior.

Generalior est, quæ pertinet in genere ad prudentiam scholasticam.

Specialior, quæ in specie refertur ad constitutionem scholarum.

De hac Canon est:

Sicut Politiæ & Ecclesiæ; ita quoque scholæ distingui possunt, secundum varia regna & Resp. in quibus viguerunt; & sunt quidem vel vetustissimæ, vel mediæ, vel recentes.

Vetustissimæ scholæ fuerunt apud Chaldæos & Assyrios, itemque apud Medos, Persas, Arabes,

rabes, pòst apud Indos ſchola Gymnoſophiſtarum, apud Bactrianos ſchola Semaneorum, apud Ægyptios ſchola Sacerdotum, apud Iſraëlitas & Iudæos ſcholæ Pontificum, Sacerdotum, & Prophetarũ, apud Gallos ſchola Semnoteorum, apud Græcos ſchola Sibyllarum, Poëtarum, Sophorum & Philoſophorum. Apud Romanos ſeu Latinos, ſchola Hetruſcorum.

Intermediæ ætatis ſcholæ enumerantur tres præcipuè, nempe Ionica, Italica, & Eleatica.

Recentes verò ſcholæ ſunt vel antiquæ, vel nouæ.

Antiquæ ſunt Rhodia, Maſſilienſis, Athenienſis, Tharſenſis, Alexandrina.

Nouæ ſunt, quæ poſterioribus temporibus fundatæ ſunt; nempe Academiæ, Gymnaſia, ſcholæ triuiales; in vrbibus, in pagis, & quidem ſcholæ tum puerorum, tum puellarum.

Hæc eſt breuis diſtinctio ſcholarum, atque adeò etiam Hiſtoriæ ſcholaſticæ, de qua ſæpe diligenter cogitaui, tamen neminem Hiſtoricorum repperi, qui ex profeſſo faceret mentionem Hiſtoriæ ſcholaſticæ, præter vnum *Reinerum Reinecцium*. Cæterum ad Hiſtoriam ſcholaſticam referri debent hi hiſtorici, nempe Clemens, Euſebius, Philoſtratus, Laërtius, Eunapius, & alii quos infra nominaturi ſumus.

Et tantum etiam de hiſtoria pertinente ad prudentiam. Hiſtoria pertinens ad artem eſt,

quæ habet exempla accommodata medicinæ, chirurgiæ, itemque pharmacopolarum arti, item arti pictoriæ, sculptoriæ, typographicæ, & similibus, quæ inter nobiles artes referri possunt.

Atque eô pertinent multa in Polydoro Virgilio, & aliis, qui de inuentoribus rerum scripserunt, item in nouiter repertis Panciroli & Henrici Salmuth.

Tantum de Historia nobilium disciplinarum operatricium: Historiæ ignobilium & mechanicarum disciplinarum tot sunt, quot artes mechanicæ, quarum singulæ suos habent inuentores, suos progressus, suos insignes artifices, & exempla operum artificialium, ab Historicis vel annotata, vel annotanda.

CAPVT VI.

De partitione Historiæ, ex modo narrandi vel scribendi.

HVcusque enucleauimus Historiæ partitiones omnes, pertinentes ad rem siue materiam Historiæ desumptas, nempe ex ipsa distinctione disciplinarum; quia singularia mẽsurantur secundum vniuersalia. Consequens nunc est, vt historiam partiamur ex modo siue ex forma quâ res narrantur. Et primò quidem Historia diuidi potest in separatam & sociatam.

Separatam historiam voco, quando exempla historica

historica non sunt coniuncta cum præceptis disciplinarum, sed separatim tractantur extra disciplinas. Et hæc iterum est vel simplicior, siue uniformis, vel Miscella.

Simplicior & uniformis historia est, quæ continua quâdam & certâ serie historias narrat & explicat.

Estque vel communior vel particularior.

Communior est, quæ explicat historias præcipuas, ab initio mundi, secundum certam seriem temporum, atque adeò secundum primas & summas Monarchias.

Canones de Historia vniuersali sunt:

1 *Historia communis vulgo appellatur, vniuersalis, quod tamen cautè accipiendum est; aliàs enim foret contradictio in adiecto, nec potest esse vlla vniuersalitas in Historia, quia est tantum singularium, ita vt vniuersalis Historia dicatur ratione collectionis, seu complexionis multorum singularium.*

2 *Historia vniuersalis ab omnibus Historicis, qui de historia scripserunt, malè restringitur ad solam Polit. historiam, ita vt ea vniuersalis dicatur, quæ continet narrationem de rebus gestis Politicis præcipuè, & nonnihil etiam de rebus Ecclesiasticis, cum tamen communis siue vuersalis historia, secundum seriem temporum & Monarchiarum debeat continere maxime me-*

morabilia exempla omnium disciplinarum, nempe scientiarum, prudentiarum, artium, prout cap. præcedenti historia distincta est.

3 *Talis autem historia vniuersalis a nemine adhuc recte & ordine perscripta est, cum omnes ii, qui historici vniuersales vocantur, rarò vel nunquam attingant historias scholasticas, Iurisprudentiæ, item Oeconomicas, vt nihil dicam de historiis Grammaticis, Logicis, Rhetoricis, Medicis, mechanicis, & aliis.*

Lipsius in Epistola citata, desiderat multum in historia vniuersali: *Velim equidem*, inquit, *& tacitus sæpe opto, imò ipse meditor esse qui breuiter & compendio, & quod caput est, iudicio ab orbe condito, velut fastos concinnet, nec aliud quam annos & præcipua rerum, notet ac libet. Qui hactenus fecêre aut confundunt nimis aut diffundunt, vt nec notabilia aut laudabilia maxime excerpunt.* In specie autem (nam Lipsius generaliter tantum desiderat) hoc præcipue desiderandum est, quod dixit Aphorismus, nempe in vniuersalibus historiis tantum Politica & Ecclesiastica annotari, reliqua omitti; vnde & ordo & plenitudo deest historiis vniuersalibus, quas adhuc habemus: ordo deest, quia non proceditur secundum eam seriem, quæ monstrata est capite præcedenti. Plenitudo deest, quia tantum duarum disciplinarum exempla recitantur, & interim tot aliarum necessariarum disciplinarum quot præcedente capite

pite enumerauimus hiſtoriæ negliguntur & omittuntur.

4 *Quod ſi hiſtoria vniuerſalis, ita adornetur, vt iam diximus, tum demum merebitur eas proprietates & laudes, quæ ei tribuuntur, quod nempe ſit longe præſtantiſſima, & vtiliſſima, quod pariat cognitionem promptam & facilem, atque adeo quid ſit arduum, quid & magni laboris ac ſumptus.*

Hiſtoriæ vniuerſalis laudes texit Beurerus, libro primo, Aphoriſmo decimotertio, ſed tales laudes quæ competant hiſtoriæ vniuerſali, non qualis ſcripta eſt hactenus, ſed qualis ſcribi debuiſſet; vbi quidem citat duos inprimis autores, Polybium & Diodorum Siculum in procœmio. Polybius accuratè monet vniuerſam mundi Hiſtoriam, debere prius cognoſcere quemlibet, & vt verba eius ſonant, ὑπὸ μίαν σύνοψιν ἄγειν καὶ σῶμα τὸ ποιεῖν, hoc eſt, vno intuitu complecti, & veluti in corpus redactum animo comprehendere. Verba Polybii libet aſcribere: *Neque committendum eſt*, ait Polybius, *vt pulcherrimum ſimulatque vtiliſſimum fortunæ inſtitutum prætermittamus. Cum enim hæc complura innouet, & in vita hominum continenter ludendo certet, nunquam tamen huiuſmodi certamen certauit, quale eſt hoc, quod noſtro tempore confecit. Quod quidem ex iis hiſtoricis qui particulatim res deſcripſerunt perſpicere minime queas. Ni-*

si vero & is qui clarissimis quibusdam vrbibus sigillatim perlustratis, aut sane vnaquaque depicta seorsim inspecta statim putandus est totius orbis terrarum figuram cognouisse, eiusdemq; situm ac ordinem, quod quidem à vero longissime abest. Omnino autem simile quiddam mihi videtur accidere iis, qui ex particulari historia & vniuersali mediocrem quandam cognitionem percepisse persuasum habent, ac si quis viui cuiusdam & perpulchri quondam corporis disiecta membra spectaret, protinusque arbitraretur, se satis perspicere omnem vim efficaciamque animalis, & veræ illius, speciei, formæ. Si quis enim subitò statim animali composito, omnibusq; integritatis speciebus corporis dico & animæ restitutis, deinde iterũ iisdem demonstrauerunt, quamprimum eosdem palam dicturos opinor, sese ante vere plurimum aberrasse, & somniantibus similia quædam concepisse, sententiam fortasse ex particulari historia de vniuersa cognoscere licet, scientiam vero & constantem cognitionem non licet. Quare perparum æstimandum est particularem historiam conferre ad vniuersalem experientiam & fidem. At vero ex omnium inter sese coniunctione & comparatione, adde etiam similitudine atque differentia tantum aliquis id consequatur, vt re benè consideratâ, simul & vtilitatem cum voluptate coniunctam, ex historia decerpere queat. Hæc ille.

Est autem historia vniuersalis vel strictior vel laxior.

Strictior est, quæ breuius res gestas attingit & stringit, vt fit in Chronologiis & Chronicis.

Laxior est, quæ voluminibus magis plenis & diductis, præcipuas mundi res enarrat.

Vt factum à Nauclero & similibus.

Tantum de vniuersali historia: Particularis est, quæ certas quasdam res in particulari, singularia nempe, particularium scientiarum, prudentiarum, aut artium enarrat.

Huius Canones sunt duo:

1 *Historia particularis tot modis distinguenda est, quot supra enumerauimus disciplinas, ad quos referri debēt historicæ narrationes.*

2 *Qui de historia scripserunt, particularem historiam angustius restringunt, ad prudentiam ciuilem & Ecclesiasticam, ita vt particularis iis sit, quæ exponit res gestas in certo quodam regno, prouincia, vrbe, Ecclesia, vel etiam aliquot simul paucarum Politiarū & Ecclesiarū historias.*

Estque etiam vel laxior vel strictior. Laxior est, quando multarum disciplinarum, atq; adeo etiam in specie Politiarum, vel Ecclesiarum, vel Scholarum perscribuntur.

De hac Canon est:

Secundum acceptionem communem particularis historiæ, de qua modo diximus, referri huc debent relationes semestres historicæ, quæ Francofurti edi solent, vt Relationes Franci, Mercurius Gallobelgicus, *de qualibus historicis narrationibus quid sentiendum sit, facilè ex eo patet; quia ab hominibus pecuniâ conductis, qui rebus gestis non intersunt, ea Franco-*

furtum perſcribuntur ex variis prouinciis, quæ ipſi tantum rumore & famâ acceperunt: Idcirco multa in Hiſtoriæ leges peccarunt, & plurima falſa talibus relationibus immiſceri oportet.

Strictior hiſtoria particularis eſt, quæ vnius tantum diſciplinæ, atque adeò etiam Politiæ vel Eccleſiæ, vel ſcholæ, aut ad ſummum duarum vel trium enarrat.

De hac Canon eſt:

Strictioris hiſtoriæ pars eſt vel principalis, pertinẽs nempe ad eam diſciplinam, aut prouinciam, aut eccleſiam, aut ſcholam, quam pro ſcopo primario habet autor. Vel eſt acceſſoria & incidentalis, vbi propter connexionem rerum aut temporum, aut locorum Hiſtoricus aliquid admiſcet, quod ad aliam diſciplinam, vel ad aliam politiam, eccleſiam aut ſcholam, quàm quæ ei pro ſcopo eſt, pertinet.

Sic Sleidanus, cum pro ſcopo habeat res Germanicas, tamen ſubinde immiſcet res Gallicas, Anglicas, & aliorum regnorum, propter connexionem rerum & temporum. Idem facit Meteranus in hiſtoria Belgica, & alii plures.

Tantum de hiſtoria magis vniformi: Sequitur hiſtoria magis mixta, ſiue miſcella; quando nempe variarum diſciplinarum hiſtoriæ miſcentur, nec eſt ita continua ſeries narrationum.

Tales hiſtoriæ miſcellæ ſunt ſcriptæ à Valerio Max. Fulgoſo, Sabellico, Lycoſthene & Zwinge-

so in Theatro, Camerario in Horis succisiuis, itē in Promptuario Exemplorum, vti vocant, de quibus non nemo iudicium fert rigidius paulo, cum inquit: *Errant qui titulum Historicum aucupantur, & tantum varia exempla velut rhapsodias colligunt*; quô referri possunt Valerii Max. scripta, Bebelii facetiæ, Sabellici, exempla Fulgosi memorabilia: nihil enim deprehēdimus in iis, quod historicam integritatem spiret, licèt horum autorum lectio non est contemnenda; tamen ad alium quàm historicum finem, est dirigenda.

Tantum de historia separata: Historiam sociatam voco, quando præceptis disciplinarum supra enumeratarum, statim adduntur commentarii loco historiæ, siue exempla.

Magnus est vsus historiæ sociatæ, quia statim fit collatio singularium cum vniuersalibus. E. g. si quis præceptis Eth. Oecon. & Polit. statim addat exempla ex historiis, & sic in aliis disciplinis.

Est & historia vel publica, vel priuata.

Publica est, quæ cōtinet res in publico statu gestas. Priuata est quæ cōtinet res à priuato gestas.

Estque vel propria, siue tua, vel aliena. Tua est, quæ de tuis reb. narrat; aliena, quæ de alienis.

Est & historia vel secreta, vbi publice vel priuatim interest, vt res gestæ non publicentur, vel vulganda, vbi nempe nihil publicum aut priuatum impedit, quo minus vulgetur.

Est itē historia vel digna scribi, vel indigna: Werth daß mans in die Chronick schreibe/ oder nicht schreibe.

Denique historia est vel fili magis & cõtexti, vel fili rarioris & intertexti. Historia fili magis continuati & intertexti est, quando continua orationis serie & plena quadam annotatione causarum, circumstantiarum, euentuum, historia scribitur, diciturque peculiari nomine Commentarius Historicus, *vt Commentarii Iulii Cæsaris, Sleidani.*

Historia fili rarioris & intertexti, quando strictius minusque plene per circumstantias, ac seiunctim etiam pro ratione temporis historia scribitur.

Et hæc iterum consideratur vel ratione temporis maioris vel minoris.

Ratione temporis maioris, siue anni, historia recipit nomen Annalium; *quia ordo negotiorum per singulos annos tenetur.*

Bodinus pag.15. Method. *Annales,* inquit, *à Cicerone dicuntur, cum sine vllis ornamentis, sine vlla causarum disquisitione gesta cuiusque anni narrantur.* Cicero 2. de Oratore: *Vetustissimi,* inquit, *apud Latinos Historici fuerunt Cato, Pictor, Piso; eratque historia nihil aliud quam annalium confectio, cuius rei memoriæque publicæ retinendæ causa, ab initio rerum Romuli, vsque ad Mutium Publ. Pontificem, res omnium singulorum annorum mandabat literis Pontifex M. & proponebat tabulam domi, potestas vt esset populo cognoscendi, qui etiam nunc* Annales Maximi *nominantur.* Quia ergo Pontificum scribæ Historias per annua spatia referebant, ipsi ex eo Annales sunt

les sunt appellati, teste Macrobio Saturnalium lib. 3. cap. vlt. & Festo lib. 11.

Respectu temporis minoris, nempe mensium & dierum, considerata narratio Historica, vocatur tum Calendarium, *tum* Diarium.

Calendarium *est, cum res mensium serie annotantur.*

De hoc Canon est:

Calendarium consideratur vel generaliter, vel specialiter, vt scribi solitum fuit apud Romanos, qui sua Calendaria *vocabant* Fastos annales, *in quibus ordine dierum & mensium, omnis generis festa, sacrificationes, inaugurationes, consecrationes, dedicationes, electiones magistratuum, ludi & spectacula, clades item & victoriæ & triumphi, denique coloniæ ductæ, & similes res memorabiles Reip. Romanæ consignabantur.*

Quales fuerint Fasti Romanorum, melius perspici non potest, quam ex Fastis antiquitatis Romanæ, quos ab vrbe condita, vsque ad emendationem Calendarii Iuliani, diligenter contexuit Michael Beuterus, quem in 4. lib. 1600. Spiræ editum, studiosis Historiæ commendo.

Diarium, *siue* Ephemeris, *aut* Ephemerides *appellantur, cum res singulorum dierum memorabiles conscribuntur.*

Sicut apparet ex Calendario *Eberi* & aliorum, qui memorabilia, quæ singulis diebus mensium

acciderunt, colligere conati sunt. Sic in continuatione Chronici Schutziani, more Ephimeridum describitur bellum Dantiscanum à Georgio Knofio ciue nostrate.

Et hucusque liber primus Præcognitorum Historicorum, in quo tractauimus de Historiæ natura, causis, proprietatibus, effectis, & varia partitione ac distinctione. Consequens est, vt ad librum secundum progrediamur; atque adeò tractemus de Historicis, siue Historiarum scriptoribus, tam in genere, quam in specie; & sigillatim; post de via ac ratione Historicos dextrè & fructuosè legendi, atque adeò Historias, tum iudicio intelligendas, tum memoriâ comprehendendas.

AVCTA-

AVCTARIVM AD COMMENTARIVM HISTORICVM, QVOD AVCTOR OB valetudinem aduersam hactenus absoluere non potuit.

CAPVT I.

De Scriptoribus historiarum in genere.

I

PRÆCEDENTI *libro egimus de naturâ historiæ absolutè: iam de eadem tractandum fuerit relatè, & respectu nostri, quatenus nempe ea traditur aut discitur, atque adeo in concreto de Historicis, deque eorum iudicio, & dextrâ legendi ratione.*

II. *Idcirco huius posterioris libri partes duæ futuræ sunt: Prior,* De historiarum Doctoribus, *siue,* Scriptoribus: *Altera,* De dextra & fructuosa ratione eos legendi.

III. *Prior pars de Historiarum scriptoribus, iterum subdistinguenda nobis fuerit in generalem, vbi nempe de Historiarum scriptoribus in genere monebitur; & specialem, quâ ordine recensebuntur omnes omnium tẽporum Historici.*

IV. De Hiſtoriæ ſcriptione & ſcriptoribus, hos Canones generales tradimus:

1 *Res magna eſt & ardua, hiſtoriam ſcribere, idcircò non quilibet vel tentare id debet, vel ad id admitti.*

Melanchthon in præfat. Chronici: *Eſt omninò ſapientiæ & eloquentiæ opus, hiſtoriam rectè ſcribere.* Et ſane multum differt in eo noſtrum ſeculũ à ſeculis antiquis, quibus conſtantiſſimè creditum fuit, quod nemo ad hiſtoriam conſignandam poſſit reperiri idoneus, niſi is, qui in maximis rebus gerendis & ſuſtinendis exercitatus, omnium laudandarum artium & diſciplinarũ ſcientiam cum vſu coniunxiſſet: cum hodiè ferè quò quiſque eſt indoctior, & inexercitatior, eò feruidius proruat ad hiſtorias ſcribẽdas. Veteres ad hiſtoriam contexendam plurimum temporis requiri certò ſtatuebant, & voluerunt Hiſtoriæ ſcriptorem eſſe τῶν ἀκριβούντων, id eſt, ex iis, qui accuratiſſimè ſua elimant, ſicut Ariſtides ad Antoniũ Imp. dixit, referente Eunapio in vitis Philoſophorum. Cum contra hodie hiſtorias intricatiſſimas & diffuſiſſimas nonnulli deproperent, & breui tempore conſcribillent; quâ de re etiam Facchius conqueritur in lib. de Inſtitut. hiſtoriarum. Cicero longè modeſtior fuit, vtpote qui inexorabilis extitit ad conſcribendam hiſtoriam, vt eſt in lib. 1. De legib. Item Sidonius, cum moneretur à Leone, Theodori Regis Gothorum conſiliario, vt animum ſcribendis hiſtoriis adiungeret, modeſtè id declinauit, & ſe excuſauit, vt apparet lib. 4. Epiſt. ipſius. Quapropter quod Diodorus Sicul. in prœmio inquit;

inquit; *iis qui res gestas publicis monumentis prodere voluerunt, æquum est omnes homines magnas gratias agere*: id, inquam, non ad omnes pertinet, qui temerè scripturiunt historias, sed ad eos qui norunt se suo pede metiri, & ad certas historias scribendas certâ quadam ac magna præparatione accedunt.

2 *Priuatus non facilè debet hoc præsumere vt historiam scribat; quia priuati rebus gerendis, atque adeò consiliis capiendis non adhibentur.*

Nimirum priuatus non ita potest rescíscere omnes circũstantias vt persona publica, neq; etiam datur ei occasio talis omnia perquirendi, qualis publicis personis; nisi fortè aliqua singulari felicitate & opportunitate priuatus secundetur, vt omnia possit accuratè expiscari, sicuti eiusmodi felicitatis exemplum habemus in Immanuele Meterrano, historiæ Belgicæ scriptore: Alioquin certum est, priuatum plus posse sibi ocii sumere ad eam rem, quod ocium imprimis requiritur ad historiam scribẽdam, sicut Cicero citato loco, lib. 1. De legib. respondet Attico, sese ad historiam texendam cohortanti: *Historia*, inquit, *nec institui potest, nisi præparato otio, nec exiguo tempore absolui.* Quô videtur respexisse Cato, qui in principio Originum suarum scripsit: *Clarorum virorum atque magnorum non minus ocii, quàm negotii rationem extare oportere*, q. d. Scripta talibus viris digna requirere ocium, sicuti etiam eam Catonis sententiam allegat Cicero in Oratione pro Plancio.

3 *Historias graues, publicas & magni mo-*

menti nemo scribere debebat, nisi publicâ autoritate Magistratus, cuius est idoneas personas ad eam rem eligere, eisque communicare ea, quæ in archiuis publicis reposita possint historiæ scribendæ conducere.

4 *Apud Hebræos conscriptio rerum solemnior fuit, quàm apud Græcos & alias gentes; ideò scribendæ historiæ negotium non facilè alteri commendabatur, quàm sacerdotibus, aut etiam Prophetis, cum ii adhuc extarent. Qua de re locus extat* Iosephi, lib. 1. de antiquitatibus Iudaicis. *Sed & ex ipso V. Testamento satis hoc apparet, plerumque Prophetas fuisse aut Sacerdotes qui historiam conscripserunt, sicut etiam postea in N. Testamento Christus negotium scribendæ historiæ tantum Euangelistis & Apostolis videtur imposuisse.*

5 *Post Hebræos solemnis fuit conscriptio apud Chaldæos, siue Babylonios, apud quos similiter penes sacerdotes regni illius, ex multis retro probatis seculis publica annalium fides ac potestas temporum consignandorum, & rerum conscribendarum constitit.*

Testantur id Metasthenes: & Cicero quoque innuit, licèt subobscurè, lib. 1. De Diuinat. vbi inquit: *Apud Babylonios antiquissimum è doctis genus Chaldæi effloruerunt.* Vbi tamen in eo Cicero errat, cum existimat, nomen Chaldæorum esse nomen

men artis, licèt res ipsa & officium ipsum positum fuit in docendis & tradendis artibus. Præfuerunt enim cultibus sacrorum, & studiis artium liberalium, vnde & Oraculum cuidam percunctanti de sapientia & pietate summa in humano genere, de Chaldæis & Hebræis respondit: *Soli Chaldæi sapientiam adepti sunt, & Hebræi Deum Regem per se genitum sanctè colentes*, sicut refert Iustinus Martyr, non ita longè ab initio operum suorum: & Eusebius lib. 3. Demonstrationis Euangelicæ: Diodorus Siculus lib. 3. *Chaldæi*, inquit, *propemodum eo loco, gradu, dignitate, habiti fuerunt, quâ Sacerdotes apud Æpyptios.*

6 *Apud Persas potestas publica scribendæ historiæ fuit penès Magos.*

Magis conscriptio Historiæ demandata fuit à Persis, propterea quod essent religionis & literarum antistites, de quibus scribit Cicero lib. 1. De Diuinat. *Quid ego, quæ Magi Cyro illi Principi interpretati sunt, ex Dionysii Persicis libris proferam? nam cum dormienti ei, sol ad pedes visus esset, ter eum scribit, frustrà appetiuisse manibus, cum se conuoluens, sol elaberetur & abiret: Ei Magos dixisse, quod genus sapientum & doctorum habebatur in Persia, ex triplici appetitione solis, triginta annos Cyrum regnaturum esse portendi; quod ita contigit: nam ad septuagesimum peruenit, cum quadraginta annos natus regnare cœpisset.* Cum multiplici autem ista doctrina Magorum potentiæ coniungebatur, vt nemo ad fastigium Monarchiæ Persicæ eueheretur, nisi qui in Magorum scholis institutus esset: Et ipsi Reges Persici cum primum aliquid ocii nacti

essent, Magos & Historicos suos consulebant, vnde in Esthra legimus, controuersiam de reparando & instaurando templo Hierosolymitano, ex annalibus publicis Persiæ definitam esse.

7 *Apud Ægyptios itidem Historiarum scriptio commendabatur sacerdotibus.*

Post Chaldæos magna fuit per orbem terrarum Ægyptiorum celebritas, nō tantum propter opulentiam, sed & propter disciplinas liberales, & artificia omnis generis, de quibus Diodorus Siculus, cap. 1. lib. 2. Apud eos sacerdotum magna fuit autoritas, & inter alia etiam hoc munus, vt cuiuslibet regis magnitudinem, ætatem, mores, & res gestas literis mandarent, nec licuit Regem apud Ægyptios absque Sacerdotio imperare, sique ex alio genere quàm sacerdotum aliquis regnum vi vsurparet, cogebatur post regni assumptionem sacris initiari, sicut scribit Plato in Politico. Ex monumentis itaque sacerdotum Ægyptiorum, Diodorus Siculus narrationes historicas memoriâ dignas excerpsit, atque inde Bibliothecam suam historicam congessit, sicut ingenuè fatetur lib. 2. Et quamuis Athenæ doctissimis hominibus affluerent, tamen excellétes viri ex Græcia in Ægyptum traiecerunt, & ipsi sacerdotes Ægyptii commemorarunt, quod in sacris suis libris scriptum reperiant, primum ad sese priscis temporibus Orpheum Musicum, Melampodem, Dædalum, Homerum Poëtam, & Spartanum Lycurgum studiorum causa venisse. Deinceps Solonem Atheniensem, Platonem Philosophum, Pythagoram, Eudoxium Mathematicum, Democritum

tum, Abderiten, & Oenopidem Chium, qui omnes in Ægypto ea perceperunt, quibus in Græcia admirabiles fuerunt. Cui rei, vt fidem facerent Sacerdotes Ægyptii, monstrabant quorundam imagines & alia eiusmodi signa. Hinc Cic. lib. 5. de Finibus, pænè ad finem libri, scribit, Platonem Ægyptum peragrasse, vt à sacerdotibus barbaris numeros & cœlestia acciperet. Pythagoram quoque Ægyptum lustrasse, & Persarum Magos adiisse, vt vbi aliquid esset, quod disci posset, ad suam doctrinam adiungeret, Idem Democritum factitasse ait: Inprimis vero memorabile est colloquium Solonis cum Ægyptiis Sacerdotibus: ex quo satis apparet, sacerdotes Ægyptios antiquitatis peritissimos fuisse. Græcos vero tum temporis eius adhuc fuisse ignaros. Quod colloquium refert Plato in Tymæo, & Iustinus Martyr in Parænetico.

8 *Apud Græcos scribendi historias licentia laxior fuit, neque ita sapienter constricta, vt apud Hebræos, Chaldæos, Persas, Ægyptios.*

Apud Græcos præsertim in principio, non æque apud Hebræos, Persas, Ægyptios, & Romanos conscriptio historiarum solemnis fuit, sed inuaserunt historiæ scribendæ munus augustissimum sine autoritate publicâ promiscuè omnes, vnde respectu historię Hebrææ, Chaldææ, omnia Græcorũ noua, & quasi heri nata censentur. Quęcunque enim de Phoroneo, Niobe, Deucalione, Pyrrha, eorumque posteritate feruntur, si cum mundi creatione conferantur, omninò recentia esse apparent. De Atheniensibus inprimis mi-

rum eſt, quod maiorem rationem ſcribendæ hiſtoriæ non induxerint, cum apud eos ſtudia ſapientiæ inprimis floruerint, è quibus facilè potuiſſent iudicium de ſcribendâ hiſtoriâ capere, niſi ſibiipſis maluiſſent adulari, permittendo cuiuis etiā fabulas ſcribere pro hiſtoriis, modò id in laudē Græcorum aut Athenienſium vergeret, ſicut apparet ex eo, quod Demoſthenes in oratione funebri, quam habuit ciuibus ad Chęroneam cęſis, ſcribit Athenienſes nō eſſe aduenas vel cōuenas, ſed indigenas, & velut in & ex iſtâ terrâ natos. Porrò ex iſtâ neglectione muneris publici in ſcribendâ hiſtoriâ mala plurima prouenerunt, imprimis autē quod Græci hiſtorici præ aliis ſcateant fabulis & figmētis, atq; adeò μυθολογίας cum ἀρχαιολογίαις commiſceant, vt Poëta non omninò immeritò dixerit: —— *Et quicquid Græcia mendax Scribit in Hiſtoriis.* Verum de Hiſtoricis Græcorum cenſura infrà habebitur aliquot Canonibus.

9 *Romani ſapientiores Græcis, munus ſcribendæ hiſtoriæ itidem publicum eſſe voluerunt.*

Diximus de eo aliquid cum de annalibus ageremus, & citauimus locum ex Macrobio, qui diſertè id teſtatur, penes ſummum Pōtificem apud Romanos ius fuiſſe condendæ hiſtoriæ. Sed inprimis Ciceronis locus eſt notabilis in 2. de Orat. *Erat*, inquit, *Hiſtoria nihil aliud niſi annalium confectio, cui rei memoriæ publicæ cauſa ab initio rerum Romanarum vſque ad Publ. Mutium Pontificem Maximum; Res omnes ſingulorum annorum mandabat literis Pontifex Max. efferebatque in albū, & proponebat tabulam domi, poteſtas vt eſſet populo, &c.* Cæterum de Hiſtoricis Romanis ſuo loco canones erunt.

10 *Apud reliquas deinde gentes promiscua res fuit scribere historiam; imò etiam planè neglecta fuit Historiæ scriptio, & si quid memorabile apud eas gentes accidit, id cantilenis vulgò fuit decantatum, quæ cantilenæ instar historiarum narrationum erant.*

Romani antiqui temporibus videntur fuisse vltimi, qui aliquid singulare in historiis condendis præstiterunt. Reliquæ enim gẽtes nescio quo fato in eo fuerunt negligẽtes, aut saltem infelices, quod historias rerum suarũ non ita scripserint. Id quod de Germanis & omnibus pænè aliis gentibus, quæ tempore eo vixerunt, quo Rom. imperium in flore fuit, dici potest. Vnde de gentium origine, migrationibus & sedibus, vt Sclauis, Gothis, Vandalis, Sueuis, &c. ingentia dubia oborta sunt, quæ recentiores Historicos torserunt, & adhuc torquent. Bodin. c. 4. Methodi Hist. memorabilem habet locum, quem huc ascribemus: *Vna res est, quæ Scythas impulit, vt literas omnes ac monumenta veterum à stirpe conuellere conarentur, quòd acerbè ferrent Græcorum ac Latinorum Bibliothecas rerum à se gestarum magnitudine compleri; reliquos autẽ omnes, tametsi res magnas & memorabiles gessissent, turpiter omissos, vel atroci verborũ contumelia notatos.*

11 *Sapienter itaque factum est ab illis regibus, Principibus & Magistratibus, qui Historicos in suis aulis publico sumptu aluerunt, aut adhuc alunt; & optandum foret in omnibus gentibus, apud omnes Imperatores, Reges, Principes, in omnibus Rebuspubl. ciuitatibus, imò in oppidis & pagis esse, qui res memorabiles publica au-*

toritate notarent, atque ita posteritati egregiè consulerent, si præsertim Magistratus operam daret, vt singulorum annorum historiæ à præstanti aliquo & iudicioso viro recognoscerentur, & in certum ordinem redigerentur.

Monuimus etiam de hac re aliquid in Politicis, vbi de Historico Principis egimus.

12 *Quænam sint requisita, atque adeo officia boni scriptoris historiarum, satis patet ex proprietatibus & requisitis ipsius historiæ: nam proprietates abstracti, fiunt etiam proprietates concreti. Illud breuiter moneo, neminem posse esse præstantem in scribenda historia, qui non sit accuratus Logicus, & poßit singularia ab vniuersalibus rectè discernere, singularia ipsa rectè & methodicè tractare, & ad ipsa vniuersalia applicare, id quod sola Logica docet.*

13 *Neque verò tantum Logicus esse debet Historiarum scriptor, sed & aliarum quoque disciplinarum, nempè Grammaticæ, Rhetor. Geograph. Astron. atque adeo Chronologiæ, inprimis vero Ethicæ, Oecon. Polit. Iurisprudentiæ & Theologiæ peritus.*

14 *Quali autem stylo vti debeat Historicus, etiam patet ex proprietatibus Historiæ, tali nempe, qui Logicæ simplicitati subseruiat, & interim sua habeat moderata ornamenta Rhetorica.*

De ſtylo Hiſtorico ſuprà egimus, quod nempe debeat congruere primariò arti Logicæ, ſecundariò Rhetoricæ. A quâ ſententiâ non videtur vſque adeò alienus fuiſſe Cicero, quando affirmat, Commentarium Titi Pomponii Attici, de conſulatu ſuo confectum, eo ipſo eſſe ornatum, quod ornamenta neglexerit. Sanè pigmentis orationis in ſcribẽdâ Hiſtoriâ, quo magis vſa eſt Græca natio, eo fuit leuior, eoque minus ipſi apud exteros fidei eſt habitum, vt ipſe Demoſthenes teſtatur in Olynthiacis. Citauimus antea locum Ciceronis ex 2. de Oratore, ibi Cicero magis inclinare in iſtã ſententiam videtur, quod Hiſtoria deſideret ornamenta Rhetorica. Hanc ſimilitudinem ſcribendi multi ſecuti ſunt, qui ſine vllis ornamentis monumenta ſolum temporum, hominum, locorum, geſtarumq; rerum reliquerunt. Itaque qualis apud Græcos Pherecydes, Hellanicus, Aceſilaus fuit, aliique permulti, talis Cato apud Latinos, & Pictor & Piſo, qui neque tenent quibus rebus ornatur oratio, & dum intelligatur quid dicant; vnam dicendi laudem putant eſſe breuitatem. Paululum ſe erexit, & addidit hiſtoriæ maiorem ſonum vocis, vir optimus, Craſſi familiaris Antipater: cæteri non exornatores rerum, ſed tantummodo narratores fuerunt. Cælius etiam neque diſtruxit hiſtoriam varietate locorum, neque verborum collocatione & tractu orationis, leni & æquabili perpoliuit illud opus; ſed vt homo, neque doctus, neq; maximè aptus ad dicendum, ſicut potuit, dolauit; vicit tamen ſuperiores. Apud Græcos autem eloquentiſſimi homines, cum ad cæteras res illuſtres, tum ad ſcribendam

historiam maximè se applicauerunt: vt Herodotus & post eum Thucydides omnes dicendi artificio facilè vicit; qui ita creber est rerũ frequentiâ, vt verborum propè numerum sententiarum numero consequatur. Ita porrò verbis aptus & pressus, vt nescias, vtrũ res oratione, an verba sententiis illustrẽtur. Is hos libros tum scripsisse dicitur, cum à Rep. remotus, atq; id quod optimo cuique Athenis accidere solitum est, in exilium pulsus esset. Hunc secutus est Syracusus Philistus, qui cum Dionysii tyranni familiarissimus esset, cõsumpsit ocium suum in conscribendâ historia, maximeq; Thucydidẽ, sicut mihi videtur, imitatus est. Posteà verò quasi ex clarissimâ Rhetoris officinâ duo præstantes ingenio Theopompus & Ephoris ab Isocrate Magistro impulsi, se ad historiam contulerunt. Denique etiam à Philosophia profectus princeps Xenophon Socraticus ille, post ab Aristotele Callisthenes comes Alexandri scripsit historiam, & hic quidem Rhetorico pænè more; ille autẽ superior leuiore quodã sono est vsus. Minimus natu horum omnium Timæus, quantum autem iudicare possum longè eruditissimus & rerum copiâ, & sententiarum varietate abundantissimus, & ipsâ compositione verborum non impolitus, &c.

15 *Præter disciplinas eas quas diximus, Historico necessarias esse, requiruntur etiam virtutes morales, vt Historicus sit vir bonus, vir prudens, verax, iustus.*

Placet hîc iterum ascribere loca quædam insignia Ciceronis: *Historiæ autem prima lex est, ne quid falsi*

falsi dicere audeat; deinde ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit in scribẽdo, ne qua simultatis. Hæc scilicet fundamenta nota sunt omnibus. Ipsa autem exædificatio posita est in rebus & verbis. Rerum ratio ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem; Vult etiam, quoniam in rebus magnis, memoriaque dignis consilia primum, deinde acta, postea euentus exspectantur, & de consiliis significari quid scriptor probet, & in rebus gestis declarari, non solum quid actum aut dictum sit, sed etiam quomodo; & cum de euentu dicatur, vt causæ explicentur omnes vel casus, vel sapientiæ, vel temeritatis, hominumque ipsorum non solum res gestæ, sed etiam qui famâ & nomine excellant, de cuiusque vita atque natura. Verborum autem ratio & genus orationis fusum atque tractum, & cum lenitate quadam æquabili profluens sine iudiciali asperitate, & sine sententiarum forensium aculeis prosequendum est. Idem ferè in libro De Oratore habet: *Cognoscat*, inquit, *rerum gestarum & memoriæ veteris ordinem, maximè vero Romanæ ciuitatis, sed & imperiosorum populorum, & regum illustrium: quem laborem nobis Attici nostri leuauit labor, qui conseruatis notatisque temporibus, nihil cum illustre prætermitteret, annorum septingentorum memoriam vno libro colligauit. Nescire autem quid antequam natus sis, acciderit, id est semper esse puerum. Quid est enim ætas hominis, nisi cum memoria rerum veterum cum superiorum ætate contexitur? Commemoratio autem antiquitatis, exemplorumq; prolatio, summa cum delectatione & autoritatem orationi affert & fidem.* Deniq; in Epist. ad Lucei. historiæ vim præclarè attigit. Historici n. in rebus gestis describendis illa vtuntur ciuiliũ cõmutationũ scientiâ, vel in explicandis causis rerũ no-

tiarum, vel in remediis incommodorum, cum & reprehendunt ea, quæ vituperanda ducũt, & quæ placent exponendis rationibus comprobant. Et, si liberius agendum putãt, multorum perfidiam, insidias, proditionem notant. Multam etiam casus ipsi varietatem in scribendo suppeditant, plenam cuiusdam voluntatis, quæ vehementer animos hominum in legendo retinere possunt. Nihil est enim aptius ad delectationem lectoris, quàm temporum varietas, fortunæque vicissitudines. Quæ etsi optabiles in experiendo nõ sunt, in legendo tamen erunt iucundæ. Habet enim præteriti doloris secura recordatio delectationẽ: Cæteris vero nullâ perfunctis propria modestiâ casus alienos sine vllo dolore intuentibus, etiam ipsa misericordia est iucunda. Quem enim nostrûm ille monens apud Mantineam Epaminondas non cum quadam miseratione delectat? Qui tum denique sibi auelli iubet spiculum, postea-quam ei percontanti dictum est, clypeum esse saluum: vt etiam in vulneris dolore æquo animo cum laudẽ moreretur. Cuius studium in legendo non erectum Themistoclis fuga, redituque continetur. Etenim ordo ipse annalium mediocriter nos retinet, quasi enumeratione factorum. At viri sæpe excellentis, ancipites variique casus habent admirationem, exspectationem, lætitiam, molestiam, spem, timorem: si vero exitu notabili concluduntur, expletur animus iucundissimæ lectionis voluptate. Ciceronis iudicium excipiat Lipsius, cuius verba etiam placet ascribere partim ex cap. 9. Polit. partim etiam ex egregiis notis ad illud caput sub finem Polit. additis: *At memoria*

parens

parens altera est, quam vsui non appono solùm, sed in parte præpono. Magis enim obuia hæc & facilis: diffusa latius, & quæ plura ad prudentiam & in plures confert. In quosuis enim ea & quouis tempore cadit: cumque iter illud per propria pericula longum nec sine periculis sit, hæc via tutior, ideoque tritior, & haud paulo plures aliorum euentis docentur, id est Historia, quæ non aliud quàm anima & vita memoriæ. Exempla enim omnia iacerent in tenebris, nisi literarum lumen accederet. Hæc est, vt inquit Diodorus Siculus lib. 1. *custos illustrium virorum virtutis, testis malorum sceleris, beneficia in omne humanum genus. Hæc lux veritatis, magistra vitæ,* vt Cicero de Orat. 2. *Verè magistra, in hac enim tibi fas tanquam in speculo ornare, & componere vitam tuã ad alienas virtutes. In quâ,* vt inquit Liuius, *hoc præcipuè salubre & frugiferũ, omnis te exempli documẽta in illustri posita intueri, vt inde tibi tuæque Reipubl. quod imitere capias, inde fœdum incœptu, fœdum exitu quod vites.* Eadem ad ciuilem hanc partem vtilissima, nec temerè Polybius lib. 1. dixit, Verissimam disciplinam exercitationemque ad res ciuiles Historiam esse. Et ad consilia vtiles, ad publicas deliberationes rerum gestarum historiæ: Quo aspectu Imperator Alexander consiliis togæ & militiæ literatos adhibebat, & maximè eos qui historiã norant. Et Rex alius *optimos consiliarios mortuos* aiebat; intelligens hos ipsos historiæ libros. Et in notis ad hoc caput: *Eadem ad ciuilem hanc partem vtilissima: Non tamen omnis historia, ne erres. Vt aurum non quæuis terra gignit: sic nec hæc promiscua prudentiam ciuilem. Quæ illa igitur? ea quæ tres has notas habet: Veritatem, Explanationem & Iudicium,* id est, quæ legitima hi-

ſtoria eſt & perfecta. *Nec enim talem ego vnquam cenſuero, cui trium horum aliquod deeſt. Prima nota Veritas eſt, vt nempe res euentusque omnes purè & ex fide narret, nec quicquam* (quò nimis ferè inclinant ſcribentium animi) *hauſtum ex vano velit. Olim & nunc rara virtus: & à qua non affectu ſolum aut aſpectu plerique abeunt, ſed ſpecie etiam virtutis. Nam fidem in principem aut ſtatum cenſent, narrare aliquid de eo ex fide.* Atqui hæc fundamentũ operis eſt (ait in hac ipſa re Dionyſius) veritas principium prudentiæ ſimul & ſapientiæ. Vt animanti oculos ſi eruas, reliquum corpus inutile reddas: ſic hiſtoriam, ſi ab eâ hoc lumen. In falſa & errante, quomodo non fallâre ſemper & erres? talis firmiter minus; nam te diriget, aut tuas actiones. Nota altera *Explanatio* eſt, vt rem ſcilicet non fideliter tantum narret, ſed diſponat etiam atque exponat, quomodo & qua re quidque geſtum ſit, addat, vt non modo caſus euentusque rerum, ſed ratio etiam cauſæque noſcantur. Magna hæc laus & Polybio iudice ita neceſſaria, vt vſum non habeat quæcunque eâ careat. Ab Hiſtoria ſi quis auferat, Quare, quomodo, quo fine, quidque ſit actum, & an ex ratione ſatis ceciderit, quidque in eâ reliqui, id ludicrum magis erit, quàm doctrina. At nota tertia, *Iudicium*, vt diſcrimen lumenque rebus adhibeat, & hæc probet (ſed breuiter & quaſi aliud agens) hæc damnet. Quod præcipuum munus annalium, reor, ne virtutes ſileantur, vtque prauis dictis factisq; ex poſteritate & infamia metus ſit. O pulcra iſta pars, & quæ actiones, vitamque omnem format & dirigit, ſi à iudicio tamen profecta directo. Namque prauus aliquis

aut

aut imperitus frustra illuc se dabit: & cum suo irrisu magis quam nostra noxa, quia vanitas statim apparet. Hæ sunt tres illæ notæ, quas in quacunque historia reperies veterum siue noua, scito purum, probumq; illic esse aurum, scrutare. Porrò Dionysius Halicarnassæus in comparatione Herodoti cum Thucydide, tria esse ait propria officia Historici, nempe vt materiam sumat pulcram & iucundam, vt constet vbi sit inchoanda historia, & quousque progrediundum, vt sciat, quænam in Historiam referenda, quænam silentio prætereunda, vt vnumquodque suo loco aptetur & collocetur, vt scribentis animus sit placidus neque turbatus, sermo autem purus atque perspicuus. Et addit deinde: Veritas principium simul est prudentiæ & sapientiæ. Idem in præfatione Archeologiæ: Vt animāti, si eruantur oculi, reliquum corpus inutile est: sic si veritas dematur historiæ, vbique errabitur: debet autem addi nō modò casus euentusq; rerum, sed etiam ratio & causæ, hæc enim si auferantur ab historia quicquid in ea reliquum erit, ludiciū magis erit quam doctrina, inquit Polybius lib. 3. Dionysius Halicarnassæus sub finem comparationis Herodoti cum Thucydide: *Virtutum*, inquit, *maxima*, *& quasi princeps in historico est decorum, quod diligentius Thucydides quàm Herodotus seruauit*, &c. Thomas Porcatius Italus, edidit Historiam Guicciardini, cui præfixit iudicium de Historia & Historico, qui liber prodiit Venetiis, Anno 1574. in eo iudicio ait, tria esse debere in Historico, quæ Bono accidere, scribit Plato in Phœbo, nempe *Pulcritudinem*, *Mensuram*, *Veritatem*.

Ad pulcritudinem spectare ait quicquid primò in rationibus, mox in iudicio, in disceptationibus, in concionibus, in grauitate sententiarum, in eloquentiæ varietate cernitur. Ad mensuram vero ait spectare materiæ nobilitatem, delectum memorabilium, notitiam rerum interiorem, indicationem iudicii ad docendos & mouendos legentium animos, reprehensionem oportunam, laudationem mediocrem, iudicium acre, administrationem Rerumpubl. memoriam tenacem, diuisionem aptam, argumenta solida, tractationem moralium & Politicarum rerum, quantum satis sit. Descriptionem item appositam munitioni & naturæ locorum, quæ cuncta, inquit, Historico dignitatem & maiestatem conciliant. Ad veritatem denique dicit attinere veracem & integram narrationem eorum, quæ contigerunt. Atque ita Porcatius, de quibus quid sentiendum sit, proprietates historiæ loquuntur. Lucianus, Iouianus Pontanus, & alii diligentes ac prolixi sunt in requisitis Historici percensendis, & requirunt in eo Reip. administrandæ peritiam, peritiam item gerendi belli, item vt ad dicendum sit aptus, vt in eo sit corporis & animi libertas, quo singula sicut gesta sunt, absque metu narrare possit, ne eorum qui nunc viuunt gratiam aucupetur, quique adeò solam posterorum vtilitatem spectet, qui ex rebus præteritis præsentes sibi & natis suis futuras vtiles aut inutiles metiuntur.

16 *Illi Historici collocandi sunt in primo dignitatis gradu, qui ipsi αὐτόπται, i. e. præsentes spectatores rerum gestarum fuerunt: In altero*

dignitatis

dignitatis gradu, qui à Magiſtratu & ex archiuis habuerunt protocolla, acta, & inſtrumenta publica.

17 *Multi Hiſtorici perierunt iniquitate temporum, aut etiam per accidens, quod nimirum ſuarum Hiſtoriarum epitimatores inuenerunt, qui Hiſtorias plenius ab ipſis ſcriptas, in compendium contraxerint: Multi etiam Hiſtorici paſſim adhuc occultantur in Bibliothecis, præſertim à Pontificiis, qui id ſtudioſiſſimè agunt, ne ii hiſtorici lucem videant, qui Cleri & Pontificum malefacta deſcripſerunt, aut qui videntur aliquid habere, quod faueat Euangelicis.*

Vt in aliis omnibus doctrinarum generibus, ita quoque in Hiſtoriis (proh dolor) accidit, vt multa perierint partim hominum negligentia, partim etiam incendio, inundationibus, terræmotibus, bellis, ſicuti quidem magnus numerus Græcorum Hiſtoricorum, qui interciderunt, citatur in Bibliotheca Græca Phocii, & ante quoque ex Cicerone aſcripſimus loca de non paucis hiſtoriis, quæ omnes interciderunt. Ita Aratus Sycionius Acheorum potentiſſimus Princeps, commentarios Hiſtoricos ſcripſit, præclarè ſane meritus de vniuersâ Græciâ, vtpote qui Achææ gentis dignitatem primus euexit, & diſſipatos Græcos in vnum Reipubl. corpus conduxit, ita vt de eo Polyb. lib. 2. ſcribat, magnisque laudibus efferat, & tandem addat, eum valde veros & perſpicuos rerum à ſe geſtarum commentarios adornaſſe. Quorum amiſſionem meritò dolemus, etſi

quidem Polybius summatim de iis retulerit, & Plutarchus eius vitam lectu dignissimam descripserit, præterea etiam eius mentionem faciat in Philopomene & Cleomene. Ita etiam interierunt commentarii Historici Pyrrhi Epirotarum regis, quorum meminit Plutarchus in vita Pyrrhi, & fortassis adhuc superstites fuerunt tempore Ciceronis, qui lib. 9. Epist. fam. Epist. 19. ad Papyrium Pælium ita scribit: *Summum me ducem literæ tuæ reddiderunt: Planè nesciebam, te tam peritum esse rei familiaris.* Quamquam cum ex sententia Annibalis, Decadis 4. Liuianæ lib. 5. Pyrrhus castra metare primum docuerit, ac nemo elegantius loca ceperit, & præsidia disposuerit, idcircò verisimilius videatur, istos libros Pyrrhi quos Cicero hîc citat, non fuisse historicos commentarios, sed & Politicos libros de re militari, quales etiam fuerant Euangli de ordinibus militaribus, qui etiam interierunt. De Lucio Cornelio Sylla etiam referunt, quod scripserit commentarios historicos. Iosephus in vita sua meminit commentarios Vespasiani Imperatoris Rom. Ista vero omnia interierunt. Quod ad Epitomatores, sunt nonnulli qui grauius eos insectentur, propterea quod occasionem præbuerunt, vt ipsa plena volumina Historicorum interirent. Forsan, inquiunt, Dionem integrum voluerimus, nisi Xiphilinus eundem in breue compendium redegisset, nec aliam facti sui habet causam, quàm vt tædiosam prolixitatem tolleret. Voluit nimirum gratiam facere Lectori, cum tamen magnis ingeniis gratissima sit prolixitas, quæ est in grauissimis reb. scituq; necessariis. Quod si aliqua redundát in hi-

in historia, nihil impedit illa resecare. Similiter irascuntur multi Iustino, quod Trogum in compendium redegerit, atque ita occasionem dederit, vt Trogus Pompeius periret; sed ista sunt per accidens & planè contra intentionem eius qui compendium parat. Et video eos, qui Xiphilinum ac Iustinum perstringũt, maximopere commendare Epitomen Historiæ Ecclesiasticæ, quam edidit *Lucas Osiander*, à qua tamen laude alienissimus est frater Riocle in Compendio, quod Parisiis prodiit, Anno 76. Cæterum quod attinet ad insidiosos occultatores Historiarum, certum est in Bibliotheca Vaticana, & aliis Bibliothecis Italiæ, inprimis autem in Bibliothecis Monasteriorum, clam seruari multos Historicos superiorum seculorum, qui de fraudibus Pontificum, deque abusibus Ecclesiæ Romanæ, & contra de conseruatione veræ doctrinæ, etiam sub mediis tenebris Papatus scripserunt, id quod manifestè patet ex Catalogo autorum, edito ab Abbate Iohanne Trithemio, qui istos autores ex Bibliothecis ante annos paulo plus centum collegit; quem Catalogum cum vidisset Matthias Flacius, temperare sibi non potuit, quin dissimulatâ personâ, & habitu aliquot in Germania Monasteriorum Bibliothecas perlustraret, artemque arte eluserit, quos commodè posset Historicos clam auferret, atque adeo eximium istum librum, qui dicitur *Catalogus testium veritatis*, isto adminiculo conscriberet.

Caput II.

De iis autoribus qui scripserunt de Historiâ in genere, & de ratione Historiæ condendæ.

I *Vidimus generalem doctrinam de Historiarum scriptoribus, consequens est vt in specie ad autores veniamus; qui quidem sunt duorum generum. Aut enim saltem in genere scripserunt de Historia, eius requisitis & de modo historiæ condendæ; aut ipsi in specie historias perscripserunt.*

II. De priori genere, videlicet iis qui scripserunt de Historia, & modo condendi historiam, hos suppedito Canones:

1 *Qui de historiæ natura & lectione scripserunt, sunt vel veteres vel recentes.*

2 *Inter veteres duo sunt præcipui:* Lucianus *&* Dionysius Halicarnassæus.

3 *Lucianus breui libello tractauit de veritate historiæ, ex quo præcipua enotauimus suo loco.*

4 *Dionysius Halicarnassæus scripsit libellum, cui titulum dedit* Iudicium de Thucydide, *in quo imprimis operosus est circa examinandum pondus verborum Thucydidis, & explicanda nonnulla ipsius loca; ideò eius mentio fiet infrà quoque, vbi de Thucydide agetur.*

5 *Inter recentes autem Historicos de Historia scripserunt vel prolixius, vel contractius.*

6 *Prolixius, qui integros commentarios scripserunt, sunt hi: nempe Iohannes Bodinus, Reinerus Reineccius, Andreas Franckenbergerus, Fridericus Tilemannus, Antonius Posseuinus, Iohannes Iacobus Beurerus, & Philippus Glaserus.*

7 *Quod ad methodum Historicam Bodini attinet, sanè scriptũ est iudiciosissimum, quoad plerasque materias, sed hoc tamen possit in eo desiderari præcipuè; 1, quod nulla sit forma seu methodus in illa methodo. 2, quod multa congerat quæ ad Politicam pertinent. 3, quod multa ex affectu erga suos Gallos contra Germanos & imperium Romanum scribat; & de quatuor Monarchiis non satis solidè iudicet. Denique quod de Historiæ naturâ non subinde Logicè satis iudicet, vt supra quoque notauimus, & quod aberret in iudicio de L.C. Historicis, sicut infra ostendetur.*

Hæc sunt præcipua quæ in methodo Bodinianâ desidero. Posseuinus pro importunitate zeli sui methodum Bodini in multis, vbi nõ debebat, acriter perstringit, ne quid scilicet vllibi cuiquam liceat scribere aduersus Pontificem aut Ecclesiam Romanam.

8 *Rainerus Reineccius scripsit methodum cognoscendi & legendi historias, in quâ sanè*

multa sunt præclara & industriæ plena, sed & forma ac methodus ibi deest; neque satis dextrè iudicatur de Historiæ natura, proprietatibus, ac diuisionibus, vt supra annotatum est.

9 *Andreas Franckenbergerus huius quondam Dantiscani Gymnasii Rector, & postea Historiarum professor in Academia Witebergensi, librum scripsit* De dignitate historiæ Propheticæ, *& præterea alium tractatum fusiorem, cui titulum dedit:* Institutio Antiquitatis & Historiarum, *in quibus eius tractatibus etiamsi multa sint laudatissima, tamen & hîc quoque methodus desideratur, & subinde aberratur in iudicio de Historiæ natura.*

10 *Antonius Posseuinus itidem scripsit de Historia & Historicis, sed sine vlla methodo, ita vt sicut in aliis suis scriptis, ita hîc quoque ex aliis pleraque omnia transscribat, & centones ac rhapsodias quasdam congerat, quas, si quis velit ad vsum transferre, vt quidem possunt, eum oporteat singulari iudicio Logico & delectu ad legendum accedere, alioquin parum inde vtilitatis reportabit.*

11 *Fridericus Tilemannus scripsit tractatum, cui titulus est,* Discursus Philologicus de Historicorum delectu, *in eo multa sunt præclara ac variam ac multiplicem lectionem testantia, sed nec methodus est vlla, nec plenitudo huius*

do huius materiæ, & sæpe etiam aberratur in iudicio de natura historiæ.

12 *Iohannes Iacobus Beurerus libellum edidit sub titulo* Synopseos Historiarum & methodi nouæ, *vbi ex aliis multa collegit vtilia de historiarum natura & lectione, sed & methodus abest iusta & plenitudo, & sæpe etiam iudicium rectum de natura Historiæ.*

13 *Hunc secutus est Philippus Glaserus professor quondam Argentinensis, qui conscripsit vtilem libellum, cuius titulus est,* Syngramma Historiæ Theoreticæ. *Sequitur autẽ in plerisq; Bodinũ & Beurerum, itaq; & formã ibi desidero, & plenitudinẽ, & non rarò iudicium de natura Historiæ & eius dextra lectione.*

14 *Qui minores tractatus scripserunt, sunt hi præcipui: Primus est Iohannes Iouianus Pontanus, qui edidit Dialogum, cuius inscriptio est* Acteus; *vbi de ratione scribendæ historiæ tractat, & simul de Historicis fert iudiciũ. Poëtas etiam interdum cum Historicis conferens, vt Salustium cum Virgilio. Sed præter methodum etiam valde interdum disceditur à recto iudicio de natura Historiæ, vt inter alia, cum inquit:* Historiam esse solutam poesin.

10 *Franciscus Patricius* 10. *Dialogos scripsit de Historia, & in primo quidem Dialogo dicit, octo esse consideranda in scribendâ historiâ, nem-*

pe principium, ordinem, finem, res quæ silentio prætereundæ sint, vel enarrandæ, item quasnam res obiter tantum dicere conueniat, & in quibus diutius sit commorandum. Denique quali modo & ratione sint res gestæ narrandæ. Addit deinde iudicium de Luciano, Pontano, Francisco Robortello, præceptore suo. 2, Dialogo tractat de historiæ diuersitate. 3, De historiæ definitione. 4, De finibus historiæ. 5, De veritate. 6, De vniuersalis historiæ genere. 7, De historia minore. 8, De historia quæ de vno homine scribitur. 9, De historia vtilitate. 10, De historiæ dignitate & collocatione. Vt autem in his Dialogis multa sunt bona, tamen nec forma vlla, nec methodus est, nec plenitudo, & sæpissime minus rectè iudicatur de natura historiæ.

16 *Franciscus Robortellus, Francisci Patricii præceptor, scripsit commentarium de arte historica, professus, se secuturum ordinem quem Aristoteles in Rhetoricis tenuit, atque adeò molitus peculiarem artem, quam Historicam vocat, in qua quidem ita sibi visus est satisfacere, vt dicat:* Qui de eadem re aut tam accuratè scripserit, aut eo ordine quo nos, planè noui neminem. *Verum, si res diligenter consideretur, erratum est ab eo in ipso fundamento, dum nempe putat, historiam esse peculiarem artem & disciplinam; qui error supra à nobis est*

notatus,

notatus, idcirco & in ordine siue methodo & in iudicio de natura historiæ non potuit accuratam sententiam tenuisse, etsi quidem quod ad nonnullas Historiæ proprietates attinet, præclara multa in eo autore reperiantur.

17 *Scripsit etiam de Historica institutione Sebastianus Foxius; in quo eadem desideres merito quæ in aliis, etsi alioquin tractatus est grauis & doctus, in quo postquam de Historiæ origine & causis atque autoribus, incremento item & decremento pertractauit, præcepta eius scribendæ nititur accuratè persequi, & Dionysii Halicarnassæi sententiam confutare, qui putauit in historia scribenda id ante omnia spectandum esse, vt commodum & gratum lectoribus argumentum quæratur.*

18 *Vbertus Folieta Italus, itidem scripsit de ratione scribendæ Historiæ, & de similitudine normæ Polybianæ. Antonius quoque Viperanus tractatum edidit de scribenda historia, & dicit se in historiam inspexisse tanquã in virginem liberam & incorruptam, nulli appetitioni seruientem, veritatis cultricem, moribus grauem, sani succi, coloris suauis, omni membrorum magnitudine & compositione perfectam, non leuibus rebus, & inanibus deditam, sed studentem grauibus & magnis, gradientemque ornatu modico & decente, non ad voluptatem, sed ad*

honestatem exquisito, qualis matronæ conuenit; non autem qualis est meretricum fucus, qui est Poëtarum maxime proprius.

19 Scripsit item de Historiæ vniuersitate Christophorus Milæus; scripsit etiam Franciscus Balduinus de institutione Historiæ vniuersæ, & de eius cum Iurisprudentia coniunctione: Dionysius Lãbinus ibidem scripsit de Historia, id præcipuè agens, vt ostendat qualis orationis forma in Historico esse debeat, & quomodo à Philosopho differat. Philosophus, inquit, in rebus vniuersis versatur: Historicus partes, personas, temporum momenta, inclinationes & res singulares persequitur. Subiicit deinde discrimẽ inter Poësin & Historiam; deinde vtilitatẽ maximã Historiæ declarat, quod nẽpe doctrina, quã ex rerum singulariũ vsu cõsequimur magno labore, periculo, sumtu nobis constet; lectio autem historiarum doctrinam contineat omnium istorum incommodorum expertem.

20 Thomas Porcatius, cuius supra meminimus, editioni Guiccicardini præmisit præfationem de Historici boni requisitis. Ventura Cæcus Bononiæ edidit librum de Historia conscribẽda, & Antuerpiæ Iohannes Bernhardus duos libros edidit de vtilitate legendæ Historiæ, & inprimis quomodo conducat ad prudentiam ciuilem.

21 Omnes autem quos enumerauimus, ex-

ceptis tribus posterioribus, continentur in Penu artis Historicæ Basileæ edita, Anno 71. vbi etiam additur Chytræi tractatus de rectè instituenda historiæ lectione, quem autorem imperitè carpit Posseuinus, occasionem cauillationis quærens ex stemmate, siue à Genealogia Augusti familiæ, quã si accuratius contexuit Iustus Lipsius, nõ tamen propterea fuerat insectãdus Chytræus.

22 Continetur in eadem Penu etiam commentarius Simonis Grynæi, & Cælii secundi, de vtilitate legendæ Historiæ, item Oratio Christophori Pezelii de Historia, item Theodori Zwingeri commentariolus de Historia, vt & Iohannis Sambuci & Antonii Riccoboni, cui adiuncta sunt veterum fragmenta: sed & Dresserus orationem scripsit de Historia, & Melchior Canus Hispanus de Historia pertractat lib. 11. Locorum Theolog. 22. Hi, nimirũ plerique sunt autores qui de Historia scripserunt, in quibus eadẽ ferè desidero, quæ suprà notaui, & idcirco post eos hunc laborem suscepi, vt in gratiam studiosæ iuuentutis, secundum artis Logicæ fundamẽta de Historiæ natura, causis, proprietatibus & legitima distinctione commentarium hunc adornarem; in quo & liberè de aliorũ hac in parte scriptis iudicaretur, & præcipua ac optima quæque, quæ illi habent, seligerentur, ne hoc tempore quo studium Historicum auidissimè ab omnibus tractatur,

Historiarum auidi & studiosi in ipso limine hærerent, neque diu sese macerarent & remorarentur istis tot autoribus peruoluendis, ac etiam passim per Academias & scholas variorum consiliis inquirendis, quorum discrepantia turbantur ingenia, & confunduntur iudicia; sed vt vno intuitu hîc, & in tractatu non ita magno, omnia illa cognoscerent, quibus ad historicam lectionem maturè, dextrè ac fructuosè aggrediendam præparentur.

Scripseram quidem aliquid de Historia, & eius lectione antehac in Gymnasio Logico, & Apparatu Practico, verùm ne quid ad plenitudinem rei deesset, visum est hoc vnico tractatu nunc omnia complecti. Quem scopum meum & affectum iuuandæ iuuentutis, spero non improbabunt viri considerati & æqui.

CAPVT III.

De Historiarum Scriptoribus in specie; & primò quidem de iis, qui separatas Historias, easque simplices & minus combinatas scripserunt.

1 *Sequitur, vt ad Historicos in specie veniamus, & indicemus qualiter Historiæ hactenus ab aliis scriptæ sint; nam qualiter scribi debuerint, supra ostensum est.*

2 *Distinguimus autem Historicos dupliciter;*

ter; 1, secundum rem siue materiam de quâ scripserunt: Deinceps secundum seriem & continuationem temporis, quô scripserunt.

III. *Ex re ergo ipsa, siue materia Historici scriptores sunt vel magis separati, vel magis mixti.*

IV. *Historici magis separati, iterum sunt vel magis absoluti, vel magis sociati.*

V. *Absolutos voco, qui non præceptis disciplinarum Historias adiunxerunt, sed eas distinctè à præceptis scripserunt.*

VI. *Et hi iterum sunt vel magis simplicium thematum singularium, vel sunt magis combinatarum rerum.*

VII. *Historici magis simplicium thematum iterum sunt; vel thematum supra & præter hominem, vel personarum humanarum.*

VIII. De Historicis, supra & præter hominem sunt hi Canones:

1 *De spiritibus Historici qui scripserunt, atque adeo de Angelis bonis & malis, plerumque sunt sociati Historici, i.e. addunt historias de spiritibus præceptis disciplinarum, ut sunt qui scripserunt de apparitionibus Angelorum, de præstigiis Dæmonum, de animabus hominum separatis à corporibus.*

2 *Similiter non facilè reperies Historicos, qui separatim scripserunt de Historiis rerum na-*

turalium præter hominem, de historia cœli, elementorum, meteororum, metallorum, gemmarum, plantarum, bestiarum. Ælianus mixtim de his scripsit, prout etiam Plinius, Athenæus, Solinus, autor dierum canicularium, item qui de ostentis & portentis scripserunt, Camerarius, Lycosthenes & alii.

IX. *Historici pertinentes ad hominem, referuntur vel ad scientiam, vel ad prudentiam, vel ad artem.*

X. *Historici qui scripserunt de homine, quatenus est homo, & quatenus pertinet ad scientiam Physicam, nulli etiam sunt separati, sed omnes sociati in vtroque sexu, tam masculino, quàm fœminino, & in omnibus ætatibus.*

XI. *Historici pertinentes ad prudentiam, sunt vel simplices, vel mixti.*

XII. *Simplices, qui ad certam aliquam prudentiam Historiam personarum retulerunt: suntque vel virorum, vel mulierum Historici.*

XIII. *Historici virorũ pertinent vel ad prudentiam moralem, vel ad prudentiam Ecclesiasticam, vel deniq; ad prudentiam scholasticam.*

XIV. *Qui ad prudentiam moralem pertinent, iterum pertinent vel ad Ethicam, vel ad Oeconomicam, vel ad Politicam, vel Iurisprudentiam.*

XV. De Historicis pertinentibus ad Pruden-

Prudentiam Ethicam, Oeconomicam & Politicam, ſunt hi Canones:

1 *Qui distinctè perſonarum hiſtorias ad Ethicam, Oeconomicam, vel Politicam retulerint, non ita facilè reperies.*

2 *Reducuntur ad perſonarum hiſtorias etiam hiſtoriæ actionum & paſſionum, atque adeò factorum & euentuum.*

3 *Hiſtoriæ perſonarum Politicarum reducuntur ad ipſam Politicam: quia pertinent ad ſtatum publicum, cum deſcribuntur aut Magiſtratus, aut eorum officiarii. Itaque Hiſtoricos de vitis Imperatorum, Regum, &c. aut officiariorum publicorum commodius infrà recenſituri ſumus, cum de Politiarum certarum hiſtoriis tractabitur.*

Multi ſcripſerunt Hiſtorias Imperatorum Romanorum, qui in aliquot volumina collecti ſunt à *Simone Gulartio*, ſub titulo Hiſtoriæ Auguſtæ, quos infra nominaturi ſumus in Politiis Græcis, Romanis & aliis.

4 *Interim aliquot Hiſtorici hoc loco recenſendi ſunt, qui non ita commodè ad Politias reduci poſſunt, quique partim ſcripſerunt vitas virorum certorum, partim etiam itinera & nauigationes.*

5 *Poteſt ergo huc referri Adamus Reuſnerus, qui an. 1560. deſcripſit Hiſtoriam Georgii & Caſpari de Fronſperg, lib. 4.*

6 *Potest etiam huc referri Iohannes Leznerus, qui anno 80. scripsit Genealogiam Baronum de Plesse, & familiarum Malspubegiæ.*

7 *Referatur etiã huc Tobias Weberus, qui anno 90. descripsit Genealog. Comitũ Nassouiæ.*

8 *Referantur etiam huc qui descripserunt nauigationes, quibus noua imperia fuerint quæsita, vt sunt Historici nauigationum Indiæ Occidentalis, item Indiæ Orientalis, item nauigationes Anglorum, item Belgarum.*

9 *Et hi autores nauigationum sunt vel separati vel mixti.*

10 *Separati sunt hi præcipuè: Aloisius Cadamistus, qui anno 1504. scripsit de nauigatione ad terras nouas.*

11 *Christophori Columbi nauigatio, siue, vt vocari debebat, Columnæi nauigatio ad Insulas ante ignotas, anno 1412. Americi Vesputii nauigationes 4, anno 1497. Iosephi Indi nauigationes, anno 1500. Ludouici Patricii nauigationum Æthiopiæ, Ægypti, vtriusque Arabiæ intra & extra Gangen, lib. 4. anno 1515.*

12 *Iohannes Leo, Damianus à Goa, Laurentius Gambara, Osorius, Iohannes Barrius, Ferdinandus Lopez, Iohannes Petrus Maffæus, etiam nauigationes scripserunt.*

13 *Inter Belgas præclarè scripsit in Indiam Orientalem Hugo à Linscoten.*

14 *De nauigatione Gallorum in Americam laudabiliter scripsit Iohannes Lerius.*

15 *De tyrannide, quam Hispani in America exercuerunt, scripsit Bartholomæus Casa Episcopus.*

16 *Pertinent huc qui itineraria sua & aliorum descripserunt, vt iter Babylonicum Petri Martyris & aliorum qui terram sanctam lustrarunt. Bellonius quoque hîc præclaram operam præstitit, & sunt in talibus itinerariis multa quæ ad Physicã & alias disciplinas pertinent.*

XVI. *Qui mixtim de nauigationibus & itineribus scripserunt, præsertim vero de nauigationibus Anglorum & Belgarum certis voluminib, editi sunt præcipuè in Germanicâ linguâ.*

XVII. *Historici personarum pertinentes ad prudentiam iuris, separatim enim vix reperiuntur, sed attexuntur casus iuridici ipsis præceptis Iurisprudentiæ. Nam quod ad vitas Iurisperitorum attinet, illæ rectiùs referuntur ad Historiam scholasticam, vt paulò post intelligetur.*

XVII. Sequuntur Historici separati & simplices, pertinentes ad prudentiam Ecclesiasticã, de quibus sunt hi Canones:

1 *Personæ Ecclesiasticæ quatenus ad statum publicum pertinent, eatenus suas historias habent insertas ipsis historiis Ecclesiasticis, pertinentibus ad Historiam Ecclesiasticam.*

2 *Itaque hoc loco breuiter tantum recensebimus, eos qui vitam quarundam personarum Ecclesiasticarum descripserunt.*

3 *Et hi pertinent ad prudentiam Ecclesiasticam veram, vel ad apparentem.*

4 *Quæ ad prudentiam Ecclesiasticam veram pertinent, sunt vel vetustiorum, vel recentiorum personarũ, & ordine iam recensebuntur.*

5 *Primò ergo occurrit Philo, qui scripsit de vita Mosis, vir secretioris Philosophiæ peritissimus, ex genere sacerdotum Iudaicorum & Alexandri Alabarchæ frater, inter primores Alexandrinos meritò numerandus.*

6 *Plurimum curæ & laboris hic Philo posuit in diuinis & patriis institutis percipiendis, itemque in Philosophicis & externæ literaturæ disciplinis, secutus doctrinam præcipuè Pythagoræ & Platonis, ita vt inter cunctos suæ ætatis viros doctos præemineret.*

7 *Inter alia opera, quorum Eusebius meminit lib. 2. cap. 5. & Suidas itidem, sunt libri illi Philonis, quibus vesaniã Caligulæ describit, & calamitates Iudæorum, quas sub Caligula perpessi sunt.*

8 *Qua in re ipsi fides eo certior haberi potest, quia rebus ipse interfuit, & legatione periculosa functus est ad Caligulam.*

Cum enim seditio inter Iudæos & Græcos Alexandriæ

lexandriæ habitantes exorta esset, terni ab vtraque parte legati delecti & Romam missi sunt, vbi vnus ex Græcorum legatis Appion, Caligulam inflammauit aduersus Iudæos, vtpote qui Caligulam non pari honore cum cæteris numinibus colerent, neque per nomen Cæsaris iurarent. Ibi tum Philo princeps legationis Iudaicæ, pro religione & gente sua causam tam strenuè egit, vt de vita sit periclitatus, & ab Imperatore iussus exire, qui propter iracundiam ab iniuria Philoni inferenda vix poterat abstinere. Philo igitur conuicio ab Imperatore eiectus, ad suos se confert, & magno animo dixit: *Nunc bene nos affectos esse oportet, ô fratres, quando C. Caligula Imperator iratus est: nunc enim Deus nobis contra illum aderit*, quod refert Iosephus, lib. 18. cap. 10.

9 *In dictione imitatur Platonem, ita vt eandem maiestatem orationis Græcæ exprimere conatus sit.*

Hinc nimirum, teste Suida, prouerbium ortum est, *Aut Plato Philonizat, aut Philo Platonizat*. Id quod etiam ita sentit Augustinus contra Faustum Manichæum, & confirmat Eusebius lib. 2. Histor. Ecclesiast. cap. 18.

10 *Commentarii quidem Philonis de impietate Caligulæ ingeniosè contexti, & coram toto Senatu Romano, tempore Claudii lecti, adeò probati fuerunt, vt testimonio publico ornarentur, & in Bibliothecam publicam collocarentur.*

11 *Edita sunt eius opera Græcè Parisiis ab*

Adriano Turnebo typographo regio, an. 1553. Latinè autem Basileæ & Francofurti.

12 *Annius Witerbiensis quædam Philoni tribuit, quæ nec stylo, nec grauitate, nec veritate conueniunt cum reliquis eius operibus, & habent illud falsissimum, quod narrent stirpem Salomonis in Ochozia defecisse, & successionem eius non de Salomonis, sed de Nathanis fuisse progenie, quod manifestè est contra scripturam,* 2.Reg.11. 1.Paralip.3. 2.Paralip.22.

Accedit & hoc, quod Eusebius, Hieronymus, Suidas illorum operum nullam mentionem faciant, vt taceam quod Annius ille præposterè dicat, Philonem Liuii vestigiis institisse, cum tamen paulò ante sciebat, Philonem publicos omnium Monarchiarum annales habuisse. Quod si ita est, sanè multum de suo gradu Philo deiicitur, si Liuium secutus est, qui in plerisque dubitat, in multis errat. Sed de suppositio isto Philone prolixius disputat Melchior Canus, lib.11. Locorum Theolog.cap.6.

13 *Iam à Philone ad alios breuiter veniamus; inter quos placet recensere Prochorum Diaconum, qui anno Christi* 100. *descripsit vitam Iohannis Euangelistæ.*

14 *Christophorus Pezelius descripsit vitam Athanasii, anno* 1550.

15 *Posidonius descripsit vitam Augustini, anno Christi* 430.

16 *Palladius*

16 *Palladius Græcus descripsit vitam Chrysostomi.*

17 *Hieronymus descripsit vitam Pauli Eremitæ, & Malchi captiui monachi.*

18 *Iohannes Matthesius descripsit vitam Lutheri, anno 1550.*

19 *Ioachimus Camerarius descripsit vitam Philippi Melanchthonis.*

20 *Theodorus Beza descripsit vitā Caluini.*

21 *Funcius scripsit vitam Viti Theodori.*

22 *Simlerus descripsit vitam Petri Martyris.*

23 *Iohannes Wilhelmus Stuckius descripsit vitam Iohannis Simleri.*

24 *Anton. Fagius descripsit vitam Theodori Bezæ, & sic de illis qui descripserunt vitas virorum Ecclesiasticorum: vitam aliquot mulierū piarū descripsit Hieronymus, reliquarum vitæ potissimum in mixtis historiis extāt.*

IIXX. *Tantum de Historicis separatis personarum Ecclesiasticarum, pertinentibus ad veram prudentiam Ecclesiasticam: Ad apparentem prudentiam Ecclesiasticam pertinent vitæ Sanctorum à Pontificiis canonizatorum, aut nōdum canonizatorum, veterum & recentiorum, virorum & mulierum, vt est vita S. Didaci, vita Hyacinthi, vita Casimiri, vita Ignatii Loiolæ, autoris Iesuiticæ sectæ, quam descripserunt*

duo inprimis, quos bonis notis declarauit Simon Stenius, nempe Iohannes Petrus Mafæus & Ribadenira. Sic vitã Christi descripsit Bonauẽtura, multis figmentis & fabulis additis.

XIX. Quod ad sexum fœmineum attinet: Iacobus Bergomensis descripsit vitam Mariæ, plurimis fabulis inspersis; Similiter Iohannes Pinus scripsit de vita B. Catharinæ. Falerandus Furannius de vita virginis Iohannæ Francæ scripsit versibus, & quod cum dolore dico, Iustus Lipsius eò abreptus est, vt etiam scripserit vitam Mariæ Halensis, vt & alterius cuiusdam in ista vicinia. Alexander von dem Busch, Belga, Gallicè scripsit de mulieribus virtute illustrib. qui liber Parisiis est editus, an. 93.

XX. Sequuntur Historici separati, pertinentes ad prudentiam scholasticam. Ita Xenophon scripsit de dictis & factis Socratis. Leonardus Aretinus descripsit vitam Aristotelis, quæ tamen ex Ammonio & Laërtio contexta, plenius præmittitur eius operibus.

Christophorus Preus descripsit vitam Ciceronis, anno 1540.

Matthæus Wesenbecius descripsit vitam Papiniani Iurisconsulti, anno 1566.

Marinus descripsit vitam Procli.

Iohannes Pinus descripsit vitam Beroaldi, anno 1505.

Iohannes

Iohannes Cusanus descripsit vitam Bembi, anno 1567.

Iohannes Camerarius descripsit vitam Beati Rhenani.

Iosias Simlerus descripsit vitam Conradi Gesneri.

Theophilus Bannosius descripsit vitam Petri Rami.

Vitam Fuluiæ Olimpiæ, quæ publicè docuit literas Græcas & Latinas in Acad. Heidelberg. descriptã inuenies in vestibulo opusculorũ eius.

XXI. *Tantum de Historicis separatis, pertinentibus ad prudentiam: Ad artem Medicam, & alias artes pertinentes Historici separati, penè nulli sunt; itaque inter mixtos quærendi, de quibus nunc agemus.*

XXII. *Mixti ergo historici etiam pertinent vel ad scientiam, vel ad prudentiam, vel ad artem.*

XXIII. *Ad scientiam pertinent qui historias spirituum aut etiam rerum naturalium quâ naturales sunt, mixtim scripserunt. Qui autem ad prudentiam pertinent, iterũ sunt vel moralis prudentiæ, vel Ecclesiasticæ, vel scholasticæ.*

XXIV. *Et hi iterum sunt vel virorum, vel mulierum, vel vtrorumque simul.*

XXV. *Historici virorum sunt vel Homogenei, vel Heterogenei.*

XXVI. *Homogenei, qui vitas descripserunt pertinentes ad vnam aliquam prudentiã, nempe, moralem, aut Ecclesiasticã, aut scholasticam.*

XXVII. Ad prudentiam moralem subordinantem Ethicam, Oecon. & imprimis Politicam pertinent hi;

Plutarchus descripsit vitas illustrium Latinorum & Græcorum, de quo Plutarcho notentur Canones:

1 *Plutarchus à Traiano Imperatore valdè amatus & æstimatus fuit, ita vt eo vteretur actionum & consiliorum suorum quasi moderatore, & ornaret consulari dignitate, ad extremum etiam constitueret præfectum Istulæ.*

2 *Et quia disciplinas liberales ad rerum gerendarum experientiam & vsum adiunxit, ideo minimè temerariè fecisse iudicandus est, quod principium & illustrium virorum non tantum vitas descripserit, sed etiam censor extiterit.*

3 *Iustus Lipsius numerat Plutarchum inter eos, qui medium locum obtinent in scriptoribus, siue Historicis Græcis. Inter Græcos medios, inquit Plutarchus est, qui non Historiam propriè, sed particulas historiæ scripsit, & ablegit illustrium virorum vitas; sed dignus tamen, si quis alius, principe scriptor, qui iudicium mirificè format, & diffusâ quadam ac planâ scribendi*

viâ ad virtutem vbique & prudentiam ducit, sed ad illam magis, & nisi fallor, omninò melior quàm acutior doctor.

4 *In qua censura Lipsii duo quis meritò desideret; quod putet Plutarchum non vsque adeò ad prudentiam ducere, cum tamen existimem, si quis vitas Plutarchi, & alia eius opuscula Politica & Historica legat, plus adminiculi ad solidam prudentiam inuenturum, quam in multis aliis scriptoribus. 2, Desiderandum videtur, quod dicit Lipsius, esse meliorem quàm acutiorem Doctorem, quod nisi fortè de acumine verborum intelligat, parum consonat cum iis, quæ paulò ante dixit: Plutarchus, inquit, si quis alius dignus principe scriptor, qui iudicium mirificè format. Nemo autem iudicium mirificè format, præsertim principis, qui non mirificè sit acutus & prudens scriptor.*

Ego sanè in ea sum sententia, saluo iudicio Lipsii, inter prudentissimos scriptores Plutarchum numerandum esse, & idcircò, si Deus vitam & ocium indulserit, decreui in gratiam eorum, qui Politices & Historiarum studiosi sunt, Plutarchi vitas aliquot ad prudentiam Politicam reducere, & rationem monstrare, quomodo hunc autorem illi, qui prudentiam Politicam quærunt, fructuosè legere debeant.

5 *Descripsit Plutarchus vitas Latinorum & Græcorum 50. Græcorum vitas exorsus à*

Theseo, Athenarũ rege, & finiẽs in Philopœmẽne duce Achæorum, qui post bellum Antiochi M. cum 100. *Romanis, annis ante natum Christum* 80 *obiit. Latinorum vitas exorditur à Romulo, & deducit vsquè ad Galbam & Othonem.*

6 *Consilia belli & horum causas, initia, progressus, victorias, non aliter quam bonus dux diligenter explicat.*

7 *Si quid fabulosum immiscet, addit verbũ illud φασι, h.e.* aiunt, *ne quis temerè credat.*

8 *Nonnulli Plutarchũ animaduersione dignum esse iudicant propterea, quod Græcos Principes cum Græcis, & Romanos cum Romanis bona fide comparauerit; Græcos vero cum Romanis non item, id quod apparêre possit in comparatione Demosthenis & Ciceronis, Aristidis & Catonis, Syllæ & Lysandri, Marcelli & Pelopidæ.*

9 *Interdum etiam labitur in antiquitate Romana, in quo tamen excusabilis est; quia linguam Latinam non satis intellexit, vt in vita Demosthenis confitetur.*

Scriptum Gracchũ & Equites cum rogatione Sẽpronia de iudiciis coniunxisse, cũ tamẽ iudicia ademta sint Senatoribus per illam rogationem, & ad Equites omninò trãslata, vt Velleus, Appianus, Asconius, Tacitus & Florus testantur. Itaque legem Liuiam pro Sempronia, & Gracchum pro Druso sumsit. Error etiam est nonnullorum iudicio, quòd Romanorũ denario drachmã, libræ minam æquauit in vita Fabii & Antonii, id quod Budæo

dæo præbuit erroris occasionem. Errare etiam in eo videtur, quod in Catone Vticensi scribit, *licuisse apud Romanos vxorem mutuam dare.*

10 *Notatur quoque in eo Plutarchus, quod durius scripserit in Herodotum, in quo tamen nihil æquè reprehẽdit, atque ea quæ sunt scripta de Bæotis & Chæronæis suis popularibus.*

Censores Plutarchi acriores sunt Dionys. Halicarnassæus, Ludouicus Viues li. 2. de causis corruptarum artium, & Melchior Canus lib. 11. Locor. Theol. qui inter alia inquit: Plutarchus alioquin verax in rebus Græcorum illustrandis, & cæcutire & fingere videtur interdum. Inter omnia autem eius scripta, nullum est maiori vituperatione & insectatione dignius, quam opusculum de amore puerorum, in multis pudendum.

Æmilius Probus, siue Cornelius Nepos eleganter descripsit vitas aliquot ducũ Græcorum & Punicorum, vt & Catonis Maioris. Editioni Parisiensi successit altera Plantiniana, cui addita sunt fragmenta Corneliæ Gracchorum matris.

Plinius Iunior anno Christi 100. *scripsit libros de viris illustribus.*

Dubitatur tamen an istæ vitæ sint Caii Plinii Cæcilii II. iunioris, qui floruit sub Traiano, Taciti Historici amicissimus. Quisquis tãdem sit autor, sanè propter argumenti magnitudinem vtilis est, etiamsi nec accuratus in elegantia Romana, & talis qui nõ semel erret, & pleraq; dicenda omittat.

Franciscus Petrarcha itidem de viris illustribus scripsit, anno 1474.

Gennadius et scripsit de viris illust. an. 490.

Iohannes Bocatius de viris illustribus scripsit, anno 1370.

Iohannes Bacellus scripsit de claris Genuensibus, anno 1496.

Michael Ricius scripsit de regibus Francorum, Hispanorum, Neapolis, Siciliæ, Vngariæ, Hierosolymæ, anno 1505.

Polydorus Virgilius de origine insignium Regum scripsit, anno 1530.

Æneas Ficus Parmensis scripsit de imaginibus & vita aliquot Imperatorum, anno 1558.

Achilles Gasserus scripsit Catalogum omnium Regum in Europâ, anno 1560.

Hermannus Hamelmannus scripsit de viris illustribus Westphalis, anno 1560.

XXVIII. Tantum etiam de Historiâ pertinente ad prudentiam moralem subordinantem: Historia pertinens ad prudentiam subordinatam, i.e. Iurisprudentiam, habet hos Canones:

1 *Iohannes Wolfgangus Freimonius Bauarus, edidit Symphoniam iuris vtriusq; Chronologicam, in quâ non modo omnium Pontificum, Consulum Romanorum & Imperatorum, Iurisperitorum, item tam veterum, quam recentium nomina, successiones, ætates, in vnum corpus colliguntur, sed etiam quid ab vnoquoque vel Imperatore vel Pontifice, in vtroque iure*

sancitum

sancitum sit & constitutum, & quæ constitutiones in Codice aut in Nouellis, quibus consulibus, quo anno, quo mense, quove die factæ sint; quid item ex responsis prudentum in singulas Pandectarum leges translatum, magna cura & diligentia secundum temporum ordinem exponitur, & additur præterea succincta delineatio originis & successus tam imperii, quàm iuris Romani à primis vrbis temporibus vsque ad Iulium Cæsarem.

2 *Forsterus quoque edidit Historiam præcipuorum Iurisconsultorum, quam tamen ad scholasticam prudentiam potius retulerim.*

XXIX. Hucusque de separatis Historicis prudentiæ moralis: sequuntur ii qui ad prudentiam Ecclesiasticam pertinent, de quibus sunt hi Canones:

1 *Pertinent huc illa quæ scripta sunt de vitis illustrium virorum in historia sacra, & quidem Historia illa veteris aut noui Testamenti diuinitus inspirata.*

2 *Qua in re duo præcipuè autores videntur mihi excellere, quorum prior est Georgius Fabricius, qui scripsit libros IX. virorum illustrium sacræ historiæ, anno 1569. Lipsiæ. Alter est Iohannes Schopffius, qui anno 1593. edidit librum sub titulo tali,* Academia Christi, *id est, breuis descriptio Christi, sanctorum*

Apostolorum, celebriorum Patrum ac Doctorum Ecclesiæ, qui passim in orbe terrarum plantarunt Ecclesiam Christi, iam inde à tempore Apostolorum vsque ad hoc nostrum seculum.

3 *Ioachimus Perionius scripsit librum de sanctorum virorum, qui* Patriarchæ *ab Ecclesia nominantur, rebus gestis, qui primo Parisiis, deinde Coloniæ editus est, anno 1555.*

4 *Hieronymus scripsit Catalogum scriptorum Ecclesiasticorum, qui ex recognitione Erasmi recusus est Francofurti, anno 1549. & additus est libellus variorum exemplorum de Apostolis, Martyribus, Episcopis, & sanctis Patribus, partim ex Ecclesiastica Historia, partim ex vitis Patrum collectus.*

5 *Daniel Tossanus præceptor meus, scripsit libellum de Patribus, in quo Patrum præcipuorum, historia & scripta breuiter ac perspicuè recensentur.*

6 *Referri huc potest Catalogus testium veritatis, primò editus à Flacio Illyrico, & iam bis recognitus & auctus à* Simone Gulartio, *Theologo Geneuensi.*

7 *Georgius Maior edidit libellum de vitis Patrum; per Patres intelligens nimirum non illos vetustos & temporibus Apostolorum viciniores, sed mediæ ætatis viros, Monasticos, Eremitas & similes, de quibus etiam Iohannes Dama-*

Damascenus & Cassiodorus scripserunt, quæ historiæ additæ sunt operibus Iohannis Damasceni, Basileæ excusis in folio.

8 *Possunt etiam huc referri Martyrologia tam veteris quam recentis temporis, nempe à tẽpore Iohan. Hussi, cuius etiam historia & martyrium peculiari libro descriptum est, & deinde à tẽpore Lutheri vsque ad hæc nostra tempora, vt sunt ea, quæ Iohannes Foxus Anglus scripsit de martyribus Angliæ. Item Acta Martyrum, edita à Crispino Geneuæ, & denique magnũ martyrologium Germanicè editum* Hanouiæ *apud Guil. Antonium; cuius epitome antè quoq; prodiit Herbornæ. De quâ Historia martyrum, is quem antea honoris causa citaui, præceptor meus Daniel Tossanus solebat dicere:* Post S. Biblia nullum esse librum qui maiorem in nobis deuotionem possit excitare, quàm illa historia Martyrum.

9 *Ad apparentem prudentiam Ecclesiasticam pertinẽt vitæ Sanctorum sparsim à multis Pontificiis editæ, præsertim à quodam Cæsario, & deinde in vnum quasi corpus collectæ; sed linguâ Polonicâ à Petro Scharga Iesuita, in quibus historiis multa sunt plena superstitionum & fabularum.*

10 *Vitæ Pontificum Romanorum bona fide descriptæ sunt à Balæo Anglo. Platina præcla-*

ram in eo operam præstitit, sed valde nunc falsatur ab expurgatoribus librorum. Platinam autem continuarunt Onuphrius & Cicarella.

11 *Pertinent eò etiam Martyrologia quæ eduntur ab historicis Pontificiis, nempe de Martyribus Anglis sub Henrico VIII. de Martyribus Gallis, Belgis, inter quos plerique sunt proditores & sicarii, qui Reges & Principes vel occiderunt, vel occidere voluerunt.*

12 *Iesuitæ quoque peculiarem Historiam texuerunt de suis martyribus, qui ob religionem passi sunt in India, etiam in Suecia & aliis locis.*

XXIX. Tantum etiam de Historicis, pertinentibus ad prudentiam Ecclesiasticam: Sequuntur pertinentes ad prudentiam scholasticam, de quibus sunt Canones:

1 *Debet huc primò referri Laërtius, qui scripsit vitas Philosophorum, languidè quidem sæpè & frigidè, sed tamen non inutiliter.*

2 *Post Laërtium utilis est lectio Eunapii, qui etiam aliquot Philosophorum atque adeò Doctorum Ecclesiasticorum vitas descripsit.*

3 *Philostratus scripsit icones illustrium Sophistarum, item lib. 8. de vita Apollonii Thyanæi, in quo posteriori scripto, quod nempè est de Apollonio, talia reperiuntur quæ acrem censuram omnino incurrunt.*

4 *Apollonius autem iste Thyanæus, cuius Philostratus vitam descripsit, vixit tempore Senecæ, & Pythagoreum Philosophum se professus est, cum interim magicis artibus & præstigiis totus esset deditus, velut Simonis Magi successor.*

5 *Eius ergo Apollonii discipulus Philostratus librum scripsit de vitâ præceptoris sui, quo nimirum id Sathanas egit, vt mundum à Christi admiratione auerteret, atq; adeò eluderet miracula Christi & Apostolorum, qui eo ipso tempore Euangelium per vniuersam terram prædicabant & illustribus miraculis confirmabant.*

6 *Etsi autem meræ fuerint præstigiæ Diabolicæ & miracula ficta, quæ iste Apollonius edidit, id tamen obtinuit vt complures eum sub nomine Herculis ἀλεξικάκου, tanquam Deum colerent, & Alexander Imperator Roman. teste Lampridio, inter suos Deos in larario collocaret; quin & sacra ipsi fierent, quin & statua eius responsa daret operatione Dæmonum.*

7 *Et quia etiam Hierocles Philosophus vnus ex Areopagi iudicibus, ac Damicles quidã acta Apollonii descripserunt, ideò Eusebius librum aduersus Hieroclem de eâ rescripsit. Sed & ante Eusebium Iustinus Martyr, qui testatur Dæmones Apollonii statuam insedisse, & homines oraculis edendis ita seduxisse, vt Apollo-*

nium tanquam Deum colerent, dum tandem Deus os Diaboli obturauit, & responsa eius aboleuit; quod idem etiã testatur Lactantius lib. 1. *cap.* 2. & 3. & *Anastasius quæst.* 23. *Lucianus etsi ipse atheus, tamen in libro, cui titulus est* Pseudomantis, *Apollonii mortem vocat Tragœdiam; cumq; de vita eius Philostratus dubia admodum scribat, tamen nõ veretur ipsi tribuere apotheosin, quasi viuus sit in cœlum euectus.*

8 *Iohannes Trithemius Abbas Spanheimensis, in describendis viris doctis & eorum scriptis bonam operam nauauit.*

9 *Simphorianus Campegius scripsit de claris Medicis, anno* 1500.

10 *Hermannus Hamelmannus scripsit de viris doctis Westphalis, libros* 6. *anno* 1560.

11 *Petrus Nonius scripsit in illustrium Historicorum & Poëtarum effigies, anno* 1560.

12 *Iohannes Nouiomagus aliquot præstantium virorum vitas edidit.*

13 *Polydorus Virgilius, Guilhelmus Morellius, Theodorus Zwingerus, Iohannes Baptista Bernhardus, item in hac re bonam operam nauauit.*

19 *Iohannes Fichardus scripsit de vitis recentium Iurisconsultorum.*

15 *Theodorus Beza virorum doctorum aliquot*

quot vitas breuiter descripsit, additis ipsorum imaginibus.

16 *Iohannes Iacobus Boisardus descripsit virorum doctorum vitas, additis elegantissimis imaginibus artificiose celatis per Theodorum de Bry, editus Francofurti anno* 1597.

XXX. Tantum etiam de Historicis homogeneis, pertinentibus ad vnã aliquam disciplinam aut prudentiam: Historici heterogenei sunt, qui descripserunt vitas variorum diuersi status virorum, de quibus sunt hi Canones:

1 *Gennadius scripsit de illustribus viris, anno* 490.

2 *Raphaël Volaterranus scripsit de claris viris omnium gentium, anno* 1500.

3 *Casparus Vrsinus scripsit de vitis Regum, Pontificum Romanorum vsque ad Carolum V. anno* 1540.

4 *Henricus Pantaleon scripsit Prosopographiam Heroum atque illustrium virorum totius Germaniæ, in quo libro etsi interdum iudicẽ desidero, vt cum post Ericum Regem Sueciæ, ponit vitã Iesu Christi, & in aliis nonnullis; tamẽ præclarũ fuit eius viri institutum & industria magna, & liber est dignissimus lectione, editus Basileæ in folio tribus partibus, anno* 1565.

5 *Et optandum foret aliarum quoque gen-*

tium Historicos industriam Pătaleonis imitari, & suæ gentis viros dignitate, doctrinâ, militiâ præstantes ita describere & in vnum corpus colligere, eius rei & instituti magna esset vtilitas, simul & iucunditas.

Iohannes Ionsthonus præstantes viros Scotiæ descripsit, sed versibus, qui nec ita apti nec ita grati sunt in Historiis, & poterant ex plenis Historiis Gallorum, Anglorum, Belgarũ facilè colligi vitæ præstantiũ virorũ: Cumq; in hoc regno Poloniæ multi fuêre fortes & præstantes viri, magnæ sanè operæ precium faceret, qui ex corpore Historiæ Polonicæ eorum vitas colligeret, sicut quidem Iouius collegit vitam Tarnouii comitis Polon. Gwangnisius collegit vitas Principum & Regũ Poloniæ, sed versibus tantùm descriptas. Iohannes Herbortus suo Chronico addidit vitam Sigismundi I. Warseuicius in suis parallelis parùm iudiciosè scriptis, & in regno Poloniæ sub magnâ pœnâ interdictis, aliquot regum vitas satis prolixè enarrauit. Sed qui præstantium Palatinorum, Castellanorum, aut nobilium fortissimorum vitas collegerit, nemo hactenus repertus est. Extat quidem vita Nicolai & Christophori Radciuiliorum, & ipse in Bibliothecâ meâ habeo vitam summi istius viri & Palatini Cracouiensis *Petri Kmytæ* manuscriptam, & à magno quodam viro mihi communicatam, in quâ multa inuenio imprimis memorabilia.

6 *Paulus Iouius præclarum præstitit laborem in describendis multorum illustrium virorum*

rum

rum vitis, ita vt propterea dignissimus sit lectu præ aliis Historicis.

Quid præterea de Iouio & eius Historiis sentiendum sit, indicabitur quando de Italis Historicis agemus.

7 *Extat quoque libellus antè paucos annos Lugduni editus, cui titulus est* Speculum Tragicum, *in quo multorum præstantium virorum non tàm vita, quàm mors describitur. Editi sunt in linguâ Gallicâ Parisiis lib. 6. Historiarum Tragicarum, ex Bandello desumptarum, anno* 1583.

Et optandum foret eiusmodi Specula Tragica edi quoque de integris gentibus, regnis, rebuspubl. vrbibus.

8 *Iohannes Iacobus Grynæus Theologus Basiliensis, vir magnæ in historiis lectionis, edidit apophthegmata emortualia præstãtium virorum; id est, quid quilibet in agone mortis dixerit, vel fecerit.*

XXXI. Tantùm de Historicis qui viros descripserunt; de iis qui fœminas descripserunt sunt canones:

1 *Plutarchus scripsit de claris mulieribus, itidem Philippus Bergomensis.*

2 *Illi autores præcipui qui de mulieribus scripserunt vno volumine coniunctim editi sunt Parisiis, apud Simonem Colinæum anno* 1525.

XXXII. Restant Historici qui vitas virorum & mulierum simul descripserunt. de quibus sunt Canones:

1 *Iohannes Bocatius Italus scripsit de casibus illustrium virorum, item de illustribus mulieribus, anno* 1370.

2 *Iosephus à Pino scripsit de viris & mulieribus illustribus, anno* 1550.

XXXIII. Tantum de Historicis separatis pertinentibus ad scientias & prudentias: De Historicis pertinentibus ad artes, sunt Canones:

1 *Non ita extant Historici qui separatim aliquid scripserunt ad artes pertinens: Iohannes tamen Schenckius collegit historias pertinentes ad artem Medicam.*

2 *Ad artes mechanicas pertinentes, Historias inuenire licet apud Polydorum Virgilium de rerum inuentoribus, & apud Vidam Pancirollam, eiusque diligentem commentatorẽ Henricum Salmuthum, de antiquis, perditis & nouis repertis.*

Capvt IV.

De Chronologiarum scriptoribus.

1 V*Idimus Historicos qui res certas & personas magis sigillatim descripserunt.*

Venien-

Veniendum nunc est ad eos, qui se magis diffundunt, quique plenius aliquod & magis varium corpus contexunt narrationum Historicarum, non de certis ac separatis rebus & personis, sed de integris Ecclesiis & Politiis.

II. *Hi autem sunt vel communiores seu vniuersaliores, vel specialiores.*

III. *Vniuersaliores, seu communiores considerantur vel quales esse debebant, vel quales sunt.*

IV. *Debebant esse tales qui in vnum corpus colligerent præcipuas omnium disciplinarum historias, atque adeo qui non tantum Ecclesiastica & Politica, sed etiam Oeconomica, Scholastica & alia notarent, sicut supra, cum de Historiâ vniuersali ageremus, fusius monitum fuit.*

V. *Cum ergo nulli sint quales esse debebant, dicendum est, quales sint.*

VI. *Sunt autem vel Chronologiarum, vel Chronicorum scriptores.*

VII. Chronologi *appellantur, qui interstinctim & paucis lineis præcipuas historias strictim, velut in tabulis, narrant, annorum serie, quantum fieri potest, accuratissimè obseruatâ.*

VIII. *Et hi sunt vel minimi, vel medii, vel maximi.*

IX. Minimi sunt qui omnium breuis-

ſimè id præſtiterunt, de quibus ſunt canones:

1 *Martinus Lutherus breuiſſimam, ſed vtiliſſimam Chronologiam texuit, anno 1530, ab initio mundi, quam Rainerus Reineccius, & alii præſtantes Hiſtorici valdè commendant. Poſſeuinus autem Ieſuita pro ſuo more acerbè perſtringit, odio potiſſimum autoris.*

2 *Achilles Gaſſæus ſcripſit Hiſtoriarum & Chronicorum Epitomen velut indicē, qui planè ſimilis eſt Chronologiis, & editus eſt Baſil. 1532.*

3 *Petrus Artopœus edidit tabulam Chronicorum mundi, an. 1545.*

4 *Clemens Schubertus edidit Chronologiam, & addidit commentariolum de ſcrupulis Chronologorum, anno 1554.*

5 *Culmannus Flinsbachius edidit Chronologiam anno 1553.*

X. De mediis Chronologis ſunt hi canones:

1 *Iohannes Funccius Noribergenſis edidit Chronologiam mundi ab initio mundi, vſque ad ſuam ætatem, ſiue annum mundi 1553. lectu ſanè vtiliſſimam & digniſſimam.*

Audiui qui dicerent Funccio ad hanc Chronologiam magna adminicula fuiſſe ſuppeditata à ſocero ſuo Oſiandro, qui præſtans fuit hiſtoricus.

2 *Theodorus Bibliander edidit Chronologiam, anno 1540.*

3 *Dauid*

3 *David Chytræus edidit Chronologiam vtilissimam & meritò laudandam & laudatam à Reinero Reineccio & aliis, quicquid etiam insectetur suo more Posseuinus.*

4 *Gerhardus Mercator edidit Chronologiam, anno* 1570.

5 *Beroaldus edidit Chronologiam multorum magnorum virorum iudicio eximiam, propterea quod temporum seriem ex solis sacris literis laboret eruere, cuius institutum promouit & iuuit* Dauid Paræus *Theologus Heidelbergensis, à quo plura & pleniora eius generis expectamus.*

6 *Georgius Nigrinus edidit Chronologiam ab initio mundi vsque ad nostra tempora anno* 1570.

7 *Fridericus Husmannus edidit Chronologiam ab initio mundi vsque ad annum Christi* 1581.

8 *Pantaleon Candidus Austriacus, edidit breues & vtiles tabellas Chronologicas ab initio mundi vsque ad annum Christi* 1596.

9 *Elias Reusnerus anno* 1600. *edidit Diarium, itemque Isagogen Historicam, id est, Chronologiam, in quâ multa reperio quæ in aliis desideraui, & quæ ad Politicam specialem queant imprimis prodesse. Annotat enim præcipuarum priscarum Rerumpubl. initia, quo nempè mun-*

di anno cœperint, Regum item Atheniensium & Spartanorum, atque aliorum accuratam seriem contexit.

10 *Abrahamus Bucholtzerus edidit Isagogen Chronologicam anno* 1596. *quam deinde continuauit filius, non tamen pari felicitate, vt mihi videtur. Parens enim grauis est & obseruat Historiæ leges, nec intexit minuta illa, & quæ publicè sciri parum intersit, vt quando iste pastor in hoc vel illo pago sit natus vel mortuus, quando hic consul, ille senator, quando huius Academiæ Professor aut Rector, &c. quæ nonnisi de summis & præstantissimis viris erant notanda.*

Historia enim, vt grauiter monet Ammianus lib. 26. assueta est discurrere per negotiorum celsitudines, non humilium minutias indagare causari.

11. *Leonhardus Krenzenius, anno* 1577. *Chronologiam edidit ab initio mundi, vsque ad ista tempora.*

XI. Restant Chronologi maximi, qui scilicet prolixiores Chronologias scripserunt, de quibus sunt Canones:

1 *Henricus Buntingius, anno* 1593. *edidit Chronologiam magnam, eamque exactam, atque adeo extructam ex motibus cœlestibus & eclipsibus Solis & Lunæ.*

Audiui qui dicerent Chemnitium non pœnitenda

tenda adminicula Buntingio in istâ Chronologiâ subministrasse. Quicquid sit, certum est esse laborem omni laude dignissimum, quicquid etiam acerbè scribat Posseuinus: *Quoniam*, inquit, *Henricus quidam Buntingius apud Bibliopolas Italos apparuit, qui antea non innotuerat, quique volumine sat grandi edito apud Brunsuicenses, absolutam Chronologiam se edidisse profitetur: Idcircò scias eum scatere erroribus & blasphemiis, dum hæreticos extollit, & Pontificum autoritatem à Christo institutam conuellit, blaterat item aduersus Gregorianum Calendarium.* Hìc tria argumenta adducit Posseuinus contrà Chronologiam Buntingii; quorum duo priora tantum sunt iracundiæ & affectus. Tertium alicuius est momēti. Optarem enim & ipse Buntingium paulo consideratius & sedatius de nouo Calendario iudicasse, cùm non tam Mathematica, quàm Theologica quædam argumenta contra illum adducat.

2 *Prolixioribus Chronologiis annumero etiam Chronologiam Sethi Caluisii, quæ Iosephi Scaligeri supputationem in omnibus sequitur.*

3 *Annumero etiam Chronologiam Gilberti Gerebrardi Galli, editam anno 1589. sed ita editam, vt historiæ & historici leges in pluribus violet, atque adeo impotentiam affectuum effrenem istius viri demonstret.*

4 *Posseuinus magnificè nobis promittit Chronologiam Iohannis Decheri Iesuitæ, quam tamen nunquam adhuc vidi. & tantum etiam de Chronologiis.*

Video in Catalogo proximarum nundinarum autumnalium extare *Chronologiam Henrici Sameri* Societatis Iesu, ab orbe condito ad Christum natum.

CAPVT V.

De Chronicorum Scriptoribus; & primò quidem de imperfectioribus & antiquioribus, nempe de Diodoro Siculo & Iustino.

I *VIdimus Chronologos; iam ostendendi sunt scriptores Chronicorum, id est, tales, qui Historiam communem magis continuato filo descripserunt.*

II. *Et hi iterum sunt vel veteres & antiqui, vel intermedii, vel planè recentes.*

III. *Inter veteres duo sunt; Diodorus Siculus & Iustinus.*

Alii addunt Berosum, Herodotum, Polybium, Philonem; isque est communis error omnium, qui indices Historicorum contexuerunt, quod non discernunt inter Historicos qui ex professo & principali sua intentione variarum gẽtium historias scripserunt, & inter eos quibus primarius scopus fuit certæ gentis historiam condere, & tamen incidenter admiscere quoque aliarum gentium historias, vel vt comparationem instituant, vel vt historiæ suæ maiorem autoritatem & gratiam concilient, vel denique etiam propter temporum & rerum conuenientiam. Si quis autem obiiciat Polybium expresse suam historiam vo-

care καθολικὴν, ei respondeo, id fieri non absolutè, sed comparatè, respectu aliorum Historicorum Romanorum, qui nō admiscuerunt tot gentium exterarum Historias, vt Polybius fecit. Fecit autem, vt dixi, non ex primario scopo; hic enim fuit Romanam historiam condere, sed secundariò & incidenter.

IV. De Diodoro Siculo sunt hi Canones:

1 *Diodorus Siculus ortus fuit ex Argyrio ciuitate Ciliciæ, suamque historiam vocat οἰκουμενικήν.*

2 *Excussit omnes Bibliothecas historicas, vt ex multis monimentis vnum veluti corpus congereret, totosque annos 30. in condenda sua Bibliotheca historica consumpsit, vt ipse refert, & magnam Europæ & Asiæ partem magnis periculis peragrauit, atque adeo multorum oculatus testis fuit, dum totos 30. annos in istam peregrinationem impendit, vnde & Ægypti arcana se vidisse asserit. Et res ipsa loquitur, eum ex sacerdotum Ægyptiorum libris multa descripsisse, vt etiam ex Ctesia, Cnisio & annalibus Romanis.*

3 *Vsus etiam est, seipso teste, duobus aliis adminiculis ad rem absoluendam; 1, summâ cupiditate tractandi hoc argumentum in commune bonum, tum etiam omnium rerum quæ huc facere poterant Romæ comparata: Ibi enim diu*

habitauit, triumuiris in Rep. sæuientibus: Nôs, *inquit*, ex Argyrio vrbe Ciliciæ orti, atque ob commercium quod nobis in Insulâ versantibus erat, magnam cognitionem linguæ Romanæ adepti, omnia huius imperii gesta ex vetustis, quæ apud illos asseruantur, monimentis descripsimus.

4 *Et alii quidem vnius gentis, aut vrbis, aut principis gesta tractauerunt, aut etiam paucarum aliquot gentium: Diodorus a. maius opus aggressus, res omnes eodem tempore gestas etiam in remotissimis mundi partibus, quasi in vna eademque tabulâ sub aspectum posuit. Est autem inter Polybium & Diodorum summa consensio in particularibus historiis, & in difficultate vniuersalis historiæ indicandâ: vterque enim fatetur difficulter aliquid certi in Historiis vniuersalibus cōprehendi posse; quandoquidem non eadem de iisdem scribant, & quia sæpe narrationes de bellis vnius ætatis, sed diuersorū locorum inter se aptas esse & cohærentes cōtingat.*

5 *Laudabilis etiam est ingenua eius confessio, quod dum valdè prisca de mundo tractat Diodorus, illius sibi principium minimè liquere confitetur, atque ad ipsum quod Ethnicis ex Historia Mosis deerat, non astutè eludit aut dissimulat. Maluit enim vt in tenebris sit, quærendo huc illuc per varias mythologias iactari, quam*

non adspirasse ad vniuersæ historiæ principium videri.

6 *Singulare hoc est in Diodoro, quod cum alii historici Ethnici varios euentus & casus aduersos tribuant Fortunæ, ipse eos tribuat prouidentiæ diuinæ, vt patet lib. 5. lib. 15. lib. 16. quibus libris multa extant cuiusdam pietatis in isto viro specimina.*

7 *Illustrium Historicorũ, Philosophorum & Poëtarum tẽpora ad suam historiã adiunxit.*

8 *Res gestas diligentius quam cæteri multi secundum archontas, vel secundum cõsules temporibus distinguit, etsi sæpe quoque in eo deficiat, vt paulò post dicetur.*

9 *In descriptionibus locorum accuratior fuit; siquidem eo etiam fine Asiam & Europam lustrauit, vt plerisque locis in quibus occupatur conspectis, certo cognitis, literis mandaret.*

10 *Modum etiam tenet in laudationibus & vituperationib. & multa Historiæ sacræ vestigia intermiscet, quã si nouisset, clariora potuisset exprimere. Habet etiam hoc proprium quod fortis alicuius viri narratâ morte, laudes quoque eius breuiter addat.*

11 *Stylus eius non vsq; adeo est fluens & placidus, sed habetur pro vulgari, qui neque cum dulcedine Herodoti, neque cum subtilitate Thucydidis, neque cum inaffectatâ iucunditate*

Xenophontis comparari potest. Et addit Henricus Stephanus, quicunque nouus scriptoris huius lector erit, etiamsi alioquin in lectione aliorum omnium exercitatissimus sit, futurum tamen est, vt ei noua multa occurrant.

12 *Interim tamen hoc quoque cogitandum est, quod ii, qui in tam varias contexendas seriò incumbunt, verborum curam accuratam habere vix possunt, neque esse eam in Historico magno requirendam, vt præcedente libro demonstrauimus; & sanè vix fieri potest, quin ii qui tantam molem moliuntur, & autores prope innumerabiles perlegunt, è quibus sua colligunt, styli aliquam variationem & inæqualitatem incurrant.*

13 *Etsi Bibliothecæ Historicæ titulus huic operi vulgò datur, tamen alii, vt Eusebius lib.* 1. *præparat. Euang. & Iustinus Martyr in Parænetico ad Græcos plurali numero historiam Diodori vocant* Bibliothecas; *quod sic intelligo, quod aliorum Historicorum Bibliothecas in vnum conflauerit, quem sensum etiam verba Iustini & Eusebii si inspiciantur, ipsamet ostendũt.*

14 *Ex Herodoto ergo Ctesia, Thucydide, Xenophonte, Theopompo, Ephoro, Callisthene, Philisto, Timæo & aliis, itemque ex Ægyptiis & Romanis monimentis contexuit Diodorus lib.* 40. *ab initio mundi vsque ad Iulium Cæsarem.*

15 *Ex*

15 *Ex 40. autem libris istis non solum posteriores 20, verum etiam quinque illi qui inter 5. & 11. erant, magno damno perierunt. Fragmenta saltem quædam ex istis posterioribus libris excerpta addita sunt editioni Græcæ recentissimæ, quæ est Henrici Stephani, anno 1559.*

16 *Quintum librum, quod in eo de insulis egerit,* Insularum librum *inscripsit, quod propterea monetur, vt si quis incidat in autores qui Insularum librum citant, ne existimet esse alium quendam diuersum & separatum à Bibliotheca Diodori.*

17 *Summam & partitionem suorum librorum ipse breuiter exposuit: Ex libris nostris, inquit, primi complectuntur res ante tempora Troiani belli gestas, & ea quæ fabulis tradita eo seculo fuerunt, atque horum tres posteriores Græcas ferè res complectuntur. Vndecim autem sequentibus à Troiano bello vniuersitatem rerum gestarum, vsque ad Alexandri mortem prodidimus. In iis qui supersunt 23. reliqua omnia gesta collocauimus vsque ad initium belli inter Romanos & Celtas exorti.*

18 *Temporis vero longitudinem quam suo opere complexus est, ita enarrat, cum inquit: Se id quidem tempus quod bellum Troianum antecessit, certo spatio non definire, sed à Troiano bello 90. annos vsque ad Heraclidarum regem sta-*

tuere, in quo Apollodorum Atheniensem secutus est. Ab hoc autem tempore vsque ad 1. Olympiadem computare à Lacedæmoniorum regibus, nempe annos 328. Denique à 1. Olympiade vsque ad Celtici belli initium, vbi desinit Historia Diodori, vt diximus, complectitur annos 730.

19 Itaque vniuersum opus Diodori Siculi continet annos 1138. etiam tempore rerum ante Troianum bellum gestarum excepto.

20 Primus liber Diodori Siculi diuisus fuerat olim in duas sectiones, vbi tamen omissa est mentio primæ sectionis, & tantùm indicatur secunda sectio, quæ res fecit, vt Volaterranus & alii, 6. libro tribuerunt ea, quæ in 5. habentur. Et Poggius Florentinus interpres ansam errandi cæteris præbuit; vbi enim posteriorem partem lib. 1. inchoat Diodorus, ille principium lib. secundi inchoat; vbi deinde 2. liber inchoatur, Poggius tertium credit incipere.

21 Qui autem ex vero sexto lib. huius Historici aliquid cognoscere cupit, videat Eusebium lib. 2. Euangelicæ præparationis.

22 Quod ad res Romanas attinet, non videtur vsque adeo diligenter eas persecutus, interim tamen mendacia eum comminisci voluisse, non est credibile; etsi quidem Ludouicus Viues dicat, nihil hoc autore esse nugacius. Quæ

censura

censura certè nimis acerba & rigida videtur; Etsi enim antiquas quasdam & fabulosas narrationes recitet, tamen non propterea in omnibus damnandus, cum præsertim ipse non dissimulet esse ista fabulosa.

23 *Præclarius testimonium Diodoro dederunt* 1, *Plinius, qui ait, Diodorum inter Græcos desiisse nugari*: 2, *Iustinus Martyr in Parænetico ad Græcos vocat* celeberrimum Græcorum Historicorum: *Eusebius appellat* illustrem virum.

24 *Illud tamen fatendum est istam Historiam universalem Diodori non satis accuratè temporibus, & annis distinctam esse, præsertim cum desiderentur ii libri in quibus Chronologiam expresserat, & cum etiam modo Archontum, modò consulum, interdum utrorumque simul nomina aliter, quam apud alios scripta inueniuntur. Imò non tantum Archontum & Consulum, sed etiam virorum illustrium tempora notat: interdum tempus ait esse id, à quo hic vel ille suam sit orsus historiam, quæ omnia non sunt exquisitæ industriæ illius, quæ ad historiam universalem scribendam requiritur.*

VI. Tantum de Bibliothecâ Diodori Siculi: Sequitur Epitome Trogi Pompeii, concinnata à Iustino, de quâ sunt hi Canones:

1 *Iustinus sub Pio Imperatore floruit, & Trogum Pompeium in Epitomen redegit.*

2 *Incipit autem Epitome Iustini à Nino, & pertexitur vsque ad Cæsarem Augustum, ita vt omnium penè populorum res gestas breuiter complectatur.*

3 *Stylus Iustini satis est tersus, etsi subinde langueat.*

4 *Illud autem maximè reprehensione dignum est, quod confusaneam epitomen scripserit omni temporum luce carentem, cum accurata temporum sectio vnicus sit historiæ oculus. Itaque non mirum est, si ordinem minus rectum vbique Iustinus non teneat.*

5 *In Romanis rebus mira eius est ieiunitas; nec dissimulat odium suum aduersus Romanos in quadam oratione.*

6 *Libro 36. enarrat primordia Iudaicæ gentis & incrementa, in qua narratione tot sunt errores penè, quàm verba.*

Id quod ostendit manifestè & fusè Benedictus Pererius lib.5.comment.in Daniel.cap.4.fol.340.

7 *Primus autem ipsius error est circa originem gentis Iudaicæ, quam dicit esse oriundam ex vrbe Syriæ Damasco, vbi primus regum fuerit Damascus, quem deinde exceperint successores, Abraham, Moses, Israël, imò genus duxisse à regina Semiramide. Alter error est, quando scri-*

do scribit Israëli decem fuisse filios, quibus ille populum in decem regna diuisit, omnesque ex nomine Iudæ, qui discesserat, Iudæos appellauit, & cuius portio omnibus aliis accessit. Filiorum autem Israëlis minimum natu fuisse Iosephum, qui magicas artes in Ægypto didicerit, & scientiam interpretandi prodigia & somnia primus condiderit. Tertius error est, quod dicat Iosephi filium fuisse Mosen, quem propter scabiem & pruriginem, quæ grauiter in Ægypto grassabatur, Ægyptii cum omnibus regiis regno pepulerint, ne ea lues latius serperet. Quartus error est, cum dicit Mosen cum suis exulibus in deserto fame sitique fatigatum, die 7. eo malo esse releuatum, & propterea istum diem, qui ex more gentis, Sabbathum *dicatur, in omne æuum ieiunium consecrasse. Quintus error est, quod dicat Iudæos propter contagionem Ægypto pulsos, diligenter cauisse, ne eadem de caussa apud alias gentes inuisi fierent, sese ab aliis separasse, quod ex causa factum, paulatim consuetudo in disciplinam religionemque conuertent. Sextus error, quod ait, post Mosen eius filium Arvas Sacerdos sacris Ægyptiis mox rex creatur, semperque hic inde mos apud Iudæos fuit, vt eosdem & Reges & Sacerdotes haberent; quorum, inquit, iustitia religioni coniuncta, incredibile quantum coaluerit.*

Rectius Iosephus lib.13.antiquitatum; Vt quidam essent Principes & Pontifices tempore Maccabæorum primò fieri cœptum est, præsertim principatu Aristobuli, qui primus principatum summo Pontificatui coniunxit, & diadema sibi imposuit, annis post captiuitatem Babylonicam 480.

8 *Sed & hic error magnus est, quod ait Xerxen Persarum regem primò omnium domuisse Iudæos, cum tamen Xerxes Iudæis nunquam bellum mouerit, vtpote qui à Cyro primo Persarum rege, Persico imperio semper fuerant subiecti, & plus* 150. *ante Xerxen Chaldæorum rex Nabuchdonosor ter domuerat Iudæos, & in seruitutem redegerat.*

9 *Cæterum editus est Iustinus à variis; optima autem editio est quæ habet hunc titulum:* Iustinus, Trogi Pompeii Historiarũ Philippicarũ Epitome, è Iacobi Cuiacii, Puteani, & vtriusq; Pithæi, aliisque sex manuscriptis codicibus correcta, multisque scholiis illustrata, & ipse textus cum singulorum librorum argumentis & notis marginalibus Iacobi Bongarsii, & cum Philologo cuiusdam veteris anonymi in omnes Iustini libros, quibus additæ sunt Chronologicæ obseruationes ad Iustini historias accommodatę. Item Variarũ lectionũ liber, eod. Bongarsio autore.

10 *Edidit*

10 *Edidit Lazarus Zetznerus typ. Argentinensis, Iustinum cum comment. Victorini Strigelii & scholiis Theophili Cangiesseri Halensis Saxonis, in 10. libros anteriores, anno 1602.*

CAPVT VI.

De recentibus Chronicorum scriptoribus.

I *COnsiderauimus vetustos Chronicorum scriptores: nunc quoque recentiores addemus; quos distinguimus in remotiores, medios & recentiores.*

II. Remotiores & vetustiores habent hos Canones:

1 *Eusebius scripsit Chronicon ab initio mundi vsque ad annum 300.*

2 *Non est tamen Eusebius integer etiam, quoad superiora illa secula, quæ voluit notasse.*

3 *Iulius Africanus scripserat de temporibus ab orbe condito vsque ad annum Christi 320. is autor non amplius extat, sed Eusebius pleraque ex eo sumpsit.*

4 *Arnoldus Pontacus Chronicon Eusebii, Hieronymi & Prosperi conatus est emendare, ita quidem vt profiteatur se bis mille errores ex iis sustulisse, collatis variis codicibus manuscriptis.*

Fuit ille Arnoldus Pontacus Vasentensis Episcopus in Galliâ, de quo Posseuinus expresè scribit, quod Gerebrardo Chronologiam à Christo nato ad nostra vsque tempora suppeditauerit, atque ita quodammodo insimulat Gerebrardum, quod alienum laborem suppilauerit.

5 *Hieronymus ad Chronicon Eusebii adiecit annos 80, Prosper Aquitanus 60, Palmerius Florentinus 1040, Palmerius Pisanus annos 30.*

Post à nonnullis poni solet Archilogus de temporibus, cuius tamen scripta non reperiuntur facile.

Frekulfus scripsit Epitomen historiarum ab orbe condito vsque ad annum Christi 550.

Beda scripsit Chronicon ab orbe condito vsque ad annum 700.

Paulus Diaconus scripsit lib. duos Chronicorum, qui Eutropio addi solent: Pandolfus Sagax lib. 9. Diacono subiunxit.

Regino Pruncienfis Abbas scripsit Chronicon à nato Christo vsque ad annum 1097.

Ludbrandus scripsit Chronicon rerum in Europa gestarum; vixit annis 600. post Christum natum.

Ado Viennensis scripsit de sex mundi ætatibus vsque ad annum Christi 900. vixit anno Christi 980.

Ditmarus Episcopus Marsburgensis scripsit Chro-

nicon ab anno Christi 892. ad annum 1116. vixit post natum Christum annis 1020.

Admandus scripsit Chronicon ab orbe condito, vsque ad sua tempora, vixit circa annum Christi 1066.

Hermannus Contractus scripsit Chronicon de sex ætatibus vsque ad suam ætatem; vixit autem circa annum Christi 1050.

Marianus Fuldensis Scotus scripsit Chronicon ab orbe condito vsque ad suam ætatem; vixit autem circa annum Christi 1088.

Honorius Augustodiensis scripsit Chronicon ab orbe condito vsque ad sua tempora; vixit autem circa annum Christi 1120.

Sigebertus Gallus, & Robertus Montensis, qui vixerunt anno 1130. scripserunt Chronicon à Christo nato 381. vsque ad annum 1113. cum Appendice incerti autoris vsque ad ann. 1216.

Otho Frisingensis qui vixit an. Christi 1150. scripsit Chronicon ab initio mundi lib. 8. Radeuicus continuauit Othonem Frisingensem; vixit anno 1160.

III. Sequuntur iam Chronicorum scriptores mediæ ætatis, hoc est, non ita vetusti, nec ita recentes; vbi primò nominandus Dodechinus Abbas, qui scripsit Appendicem ad Marianum, & vixit anno Christi 1200.

Godfridus Witerbiensis scripsit Pantheon, id est, libros historiarum 20.

Conradus à Lichtenaw Abbas Vrspergensis, scripsit Chronicon ab orbe condito vsque ad Fridericum II. Imperatorem, vixit anno Christi 1229.

Vincentius Beluacensis scripsit speculum Historiale, siue Historiam ab orbe condito, vsque ad annum Christi 1250. vixit autem anno 1260.

Antonius Archiepiscopus Florentinus scripsit historiam ab orbe condito vsque ad annum Christi 1470. vixit anno Christi 1480.

Iacobus Philippus Bergomensis scripsit historiam ab orbe condito vsque ad annum Christi 1400, vixit autem anno Christi 1494.

Marcus Antonius Sabellicus scripsit Chronicon, cui titulum dedit Enneades, *ab orbe condito, vsque ad annum 1490. vixit autem anno Christi 1494.*

Wernerus Rolfinckius Carthusianus, scripsit Chronicon, cui tit. dedit Fasciculum Temporum, *vixit anno Christi 1495.*

Donatus Bossius Mediolanensis scripsit Historiam ab orbe condito, vsque ad annum 1489. vixit anno Christi 1896.

Hartmannus Schedelius scripsit Chronicon Chronicorum; vixit anno Christi 1498.

Caro-

Carolus Bouillus scripsit Chronicon breue, anno Christi 1500.

Iohannes Nauclerus Tubingensis, scripsit Chronicon plenum, ab orbe condito vsq; ad annum Christi 1500. *vixit anno Christi* 1510.

IV. Restant recentissimi Chronicorum scriptores; inter quos primò numero Henricum Sellarium, qui scripsit Epitomen Chronicorum, anno 1533.

Paulus Constantinus Phrygio scripsit Chronicon ab orbe condito vsque ad annum Christi 1522. *vixit vsq; ad annũ Christi* 1540. *cui deinde accessit appendix vsq; ad ann. Christi* 1555.

Iohannes Carion, qui fuit in aula Electoris Brandenburgici scripsit Chronicon ab orbe condito vsque ad annum Christi 1530.

Philippus Melanchthon scripsit Chronicon ab orbe condito vsq; ad Carolum Magnum, tribus libris, an. 1540. *& quâ fuit singulari modestiâ, dedit ei titulum;* Chronicon Carionis; *cum planè sit ipsius Philippi labor, longè operosior & vberior quam Carionis.*

Posseuinus suo more insectatur Chronicon Melanchthonis, sine vlla ratione & fronte.

Casparus Peucerus Chronicon Melanchthonis continuauit à Carolo Magno vsque ad tempora Lutheri. Victorinus autem Strigelius scholas historicas scripsit in Chron. Melanchtonis.

Wolfgangus Iustus scripsit Epitomen omnium Chronicorum anno 1543.

Henricus Bullingerus scripsit Chronicon ab orbe condito vsque ad suam ætatem. Scripsit etiam Epitomen temporum ab orbe condito vsque ad excidium Hierosolymæ, vixit anno Christi 1544.

Valentinus Munzerus scripsit Chronicon Fuldense ab orbe condito vsque ad annum Christi 1549.

Valerius Anshelmus scripsit Chronicon ab orbe condito vsque ad annum Christi 1540. *vixit anno Christi* 1550.

Arnoldus Pontanus scripsit Chronicon à nato Christo vsque ad annum 1526. *vixit anno* 1567.

Wolfgangus Butnerus scripsit epitomen Historiarum; vixit anno Christi 1576.

Reinerus Reineccius scripsit Syntagma historicum & opus Iulium, anno 1580.

Iohannes Thomas Freigius scripsit Historiæ synopsin, anno 1592.

Matthæus Dresserus scripsit Isagogen Historiarum, ab orbe condito per millenarios mundi sex.

Venceslaus Sturmius scripsit Chronicon ab orbe condito vsque ad annum Christi 1596.

Numerandus ante hos fuerat Sebastianus Franck,

Franck, qui etiam scripsit Chronicon Germanicum, & quia homo fuit deditus Swenckfeldii phantasiis, ideò mira subindè admiscet. Numerandus quoque fuerat Nicolaus Amstorf qui scripsit Epitomen Naucleri Germanicam, anno 1534.

Iohannes Iacobus Beurerus scripsit breuissimam synopsin Historiarum anno 1599.

Adhuc breuiorem synopsin, sed continuatam tamen ad annum Christi 1592. *scripsit Philippus Glaserus.*

Christophorus Pezelius scripsit mellificium Historicum, quo vtiliter explicuit & expleuit Sleidanum de 4. Monarchiis, *quem & ipsum inter Chronicorum scriptores numerare possumus. Desinit autem Mellificium in Heraclio Imperatore, & optandum foret, illud continuari vsque ad nostra tempora; quod quidem audio fieri à viro doctissimo* Iohanne Lampadio *ministro Ecclesiæ Bremensis amico meo veteri.*

In Catalogo Nundinarum autumnalium proximarum, video prostare Chronica rerum toto orbe gestarum diuersorum autorum, edita ab Auberto Miræo.

In Gallica lingua Antonius Iumœus, eques & consiliarius Regius, Dominus de Blande, Historiam scripsit ab initio mundi vsque ad nostra

tempora, cuius prior pars prodiit Parisiis, anno 1574.

Franciscus Belloforestius, scripsit Cosmographiam vniuersalem, anno Christi 1575.

Iohannes Dongois Morinus Gallicè scripsit Promptuarium rerum memorabilium, quæ acciderunt à condito mundo vsque ad annum 1576.

Et tantum etiam de Chronicorum scriptoribus: Iam consequens est, vt veniamus ad scriptores Historiarum magis particularium.

CAPVT VII.

De Historicis pertinentibus ad Monarchiam Babylonicam & Persicam.

VIdimus hactenus Historicos qui scripserunt historias communiores, & vniuersaliores; consequens est vt descendamus ad Historicos specialiores.

Hi autem distingui debent secundum distinctionem historiæ specialis; in eos nempe qui scripserunt historias pertinentes ad scientias, & in eos qui scripserunt ad prudentiam vel artem.

De Historicis pertinentibus ad scientias, siue ad speculatiuas disciplinas, Canon hic obseruetur:

Nulli

Nulli extant Historici qui ex professo tantum narrent historias Physicas aut Mathematicas, sed oportet istas historias quærere vel in mixtis historicis, vel in historicis prudentiarum & artium. Hi enim sæpe admiscent Physicas & Mathematicas historias, vel denique apud eos, qui istas scientias per præcepta & commentarios tractarunt. Interim in hoc genere videtur præcipuè elaborasse Plinius, Ælianus, Solinus. Et inter recentes, inprimis autor libri, qui inscribitur, Dies Caniculares. *Illi quoque qui itineraria & nauigationes, præsertim Ægyptiacas, & Indicas descripserunt, plurimas habent historias Physicas, interdum & Mathematicas.*

Historici pertinentes ad prudentiam, iterum referendi sunt vel ad prudentiam subordinantem, vel ad prudentiam subordinatam.

Historici pertinentes ad prudentiam subordinantem, iterum referuntur vel ad prudentiam moralem, vel ad religiosam siue Ecclesiasticam.

Historici pertinentes ad prudentiam moralem, iterum referuntur vel ad prudentiam generaliorem, videl. Ethicam; vel restrictiorem, videl: Oeconomicam & Politicam.

De Historicis pertinentibus ad Ethicam, Canon est:

Qui Ethicas Historias ex professo & separa-

tim scripserint, nulli, quod sciam, extant; quærendæ ergo sunt Sist. Ethicæ, partim in Historicis mixtis, de quibus suo loco, partim in iis, qui vitas mulierum aut virorum descripserunt, quos omnes supra nominauimus, partim denique in iis qui Ethica præcepta aut commentarios tradiderunt, iisque exempla ex historiis addiderunt.

Historicæ prudentiæ moralis restrictioris pertinent vel ad Oeconomicam vel ad Politicam.

De Historicis pertinentibus ad Oeconomicam prudentiam, Canon est:

Qui Oeconomicas historias separatim & ex professo scripserint, nulli, quod sciam, extant; idcirco historiæ Oeconom. quærendæ sunt partim in historiis mixtis, vt sunt Promptuaria exemplorum, Theatrum vitæ humanæ, *&c. partim in Historicis vniuersalibus, qui interdum Oeconom. narrationes admiscent; partim denique & quidem potissimum in historicis Politicis; illi enim multas historias Oecon. Politicis adiunxerunt.*

Venimus ergo ad historicos Politicos, i. e. eos qui historias scripserunt pertinentes ad prudentiam Politicam, de quibus sunt hi generales Canones:

1 *Cum Politica prudentia distinguatur in partem generalem & specialem, sciendum est historias pertinentes ad generalem Politicam, proprie*

proprie nullas esse, nec esse posse; quia Historia, vt lib. 1. fuse docuimus, tantum est rerum singularium siue indiuiduorum explicatio, non autem vniuersalium siue generalium. Itaque historiæ quæ citantur ad præcepta generalis Politicæ, omnes depromũtur ex speciali aliqua Politica; & ad generalem applicantur: quod propterea moneo, vt studiosi Polit. intelligãt, quanta sit necessitas, & quam summa vtilitas specialis Politicæ, nisi enim specialem Polit. cuiusque Reip. Politicis præceptis methodicè dispositam, animo saltem mediocriter cõprehendamus, aut ad minimũ per titulos methodicos disponamus, non possumus eum ex Politicis historiis fructum reportare quem sperabamus.

Miseranda res est, quod in omnibus vbique Scholis & Academiis, specialis Politica, tam supinè neglecta fuerit; imò quod ignorata fuerit pænitus. Distinctio prudentiæ Polit. atque adeo System. Polit. in partem generalem & specialem: Quodque adeò nec generalis pars methodicè sit tradita iuuentuti, nec de speciali vlla facta mentio, ne dum vt mõstraretur, quomodo & quâ methodo speciali. Polit. cuiusque imperii, Regni & Reip. accurate & methodice sit disponenda, atque adeo tum intellectu, tum memoriâ rectè comprehendenda. Inde enim factum est primò, quod nemo in Politicis idoneè fuerit institutus, atque adeo recte ad Remp. præparatus, cum tamen hic sit finis præcipuus Scholarum, vt iuuen-

tus, recte præparetur Reip. & Ecclesiæ. Vnde secundò id quoque accidit, quod iuuentus non fuerit bene informata & instructa ad inuenienda consilia danda Reip. & patriæ. Consiliorũ enim salutarium inuentio pendet à duabus præcipue causis; 1, à dextra & facili methodo Polit. generalis, quæ hactenus, vt dixi, nulla fuit: Consilii enim inuentio requirit caput inprimis methodicum, atque adeo iudicium ordinatũ, quod nulla confusione intricatũ sit aut perturbatum. Vt autem methodus & ordo dexter regulatũ facit iudiciũ; ita ordo & methodus, quæ vel plane methodus non est, vel non est satis dextra & plena, facit iudicium perturbatum & intricatum, à quo impossibile est dextra consilia proficisci.

Alterum quod pertinet ad inuentionem salutaris consilii, est Politica specialis, eaque iterum vel absoluta vel cõparata. Absolutum voco, cum quis nouit illã Politiam in qua viuit, & in, ac pro qua debet consiliũ dare: ad consilium enim dandum pro Repub. caput est nosse Remp. inquit præclare Cicero 2. de oratore. Nosse Remp. dico, non intricatè & confusè, sed methodicè, sed dextre, sed plenè. Quis vero est hodie qui suã Rẽp. ita nouit? Sane inuentus nemo est, qui monstrauerit rationem & viam quâ regimen, leges, constitutiones, atque adeo status pacatus & turbatus cuiusque in specie Reip. methodice & dextre disponi possit & debeat. In scholis id iuuentuti non fuit ostensum; itaq; discere ibi nõ potuit; sed fuit interea aliis studiis minus vtilibus districta, & postea in patriam rediens, rebus Oeconomicis, aut etiam publicis officiis ita occupata, vt ipsamet

statum

ſtatum ſuæ patriæ in ordinem redigere non potuerit. Eſt enim iſta res difficillima, quod expertus loquor, & quam nemo facilè præſtiterit, niſi qui ducem habeat fidelem, eumque in Logicis longo tempore verſatum. Quia ergo nemo ſtatum patriæ ſuæ methodicè & plenè habuit diſpoſitum, ideo nec methodicum, nec plenum habuit de patria ſua iudicium, &, per conſequens, conſilia expedita & dextra non ita dare potuit in ſtatu patriæ, ſiue pacato, ſiue turbato. Comparatam Polit. ſpecialem voco, quando duas, tres, aut plures Reſp. inter ſe comparamus, & ex illa comparatione ad noſtram patriam, ſiue Remp. elicimus ſimilia conſilia. E. g. Conſilium dandum eſt pro Rep. Polona, comparamus cum ea Remp. Spartanam, Romanam & Venetam, & ex ſalutaribus conſiliis datis pro Rep. Spartana, Romana, aut Veneta in ſtatu pacato aut turbato, inuenimus ex iſta ſimilitudine formarum, quæ eſt in his Rebusp. conſilium ſalutare pro Rep. Polona, ſiue in pacato, aut turbato ſtatu. Hæc comparatio etiam hactenus (quâ nihil eſt fructuoſius ad danda conſilia) dextre inſtitui non potuit; idque propterea, quia cũ abſoluta ſunt mala & cõfuſa, etiam comparata ſunt talia; quia comparata ſequuntur naturam abſolutorum, ita vt is qui quamlibet Rempub. ſpecialem ſeparatim & abſolute ſpectatam, dextra plenâque methodo non comprehendit, is nunquam recte poſſit diuerſas Reſp. ſpeciales inter ſe comparare. Cum comparatio fieri debeat ſecundum methodum obſeruatam, in qualibet ſpeciali & abſolute ſpectata Rep.

Tertium denique damnum & detrimentum,

quod ex neglecta methodo generalis ac specialis Polit. redundauit, est quod historicos Politicos, Polit.studiosi hactenus cum ea quâ debebant dexteritate & fructu legere, & ad vsum transferre non potuerint; quæ res, quantum Reip. & Ecclesiæ obfuerit, dici satis non potest, cum prudẽtia Politica, vt & Ecclesiast. atque adeo inuentio salutarium consiliorum, quę est potissimus effectus prudentiæ, plenè & dextrè comparari non possit, sine lectione historiarum dextra & methodica: Prudentia enim nascitur ex experientia exemplorum, ipsi in hac vitæ imbecillitate & breuitate pauca experiri possumus, itaque oportet, vt experientiam, quam ipsi per nos habere non possimus, acquiramus ex lectione exemplorum variorum in historiis. Historiæ autem, vt sæpè diximus, sunt tantum explicationes Thematum singularium; singularia autem nunquam rectè explicantur & intelliguntur, nisi reducantur ad vniuersalem methodum. E.g. Singularia Polit. siue historiæ Polit. nec intellectu nec memoriâ possunt recte comprehendi, & per consequens, nec ad inuenienda cõsilia, & ad alios vsus necessarios transferri, nisi reducantur ad methodum disciplinæ Polit. 1, quidem quoad partem Polit. generalem; deinde vero & quidem potissimum ad methodum Polit. specialis, ad quam exempla siue historiæ illæ proprie pertinent. Quare, vt cum dolore sæpe conquesti sumus, quod methodus Polit. & Historiarum studiosis non fuerit hactenus ostensa, necesse fuit eos vel solo iudicio naturali, vel cæca quadam ratione in legendis Historicis versari; qua de re clarius intelligetur, Deo dante,

dante, cum ventum fuerit ad doctrinam, *de recta ratione & via legendi Historias*: Hoc loco id monere volui eo fine, vt intelligant studiosi historiarum, quam parum proficere hactenus potuerint in lectione historicorũ, de quibus nunc agẽdum est, & quam fructuose nunc posthac per Dei gratiam in iis sint versaturi, postquam Deus pro sua clementia hoc nobis concessit, vt etiam generalis Polit. methodum dextram ac plenam dederimus, & simul etiam certam viam ac rationem monstrauerimus, eamque exemplis iam aliquot illustratam, quomodo quælibet specialis Politia, eiusque regimen, leges & constitutiones in vtroque statu, tam pacato, quam turbato, methodicè, expeditè & dextrè disponi debeant & possint.

2 *Cum status Reip. cuiuscunque sit vel pacatus vel turbatus, ideo Historici qui scripserunt de bellis huius, vel illius gentis aut Reip. numerandi sunt inter eas, qui historias Polit. specialis scripserunt, atque adeo ad eandem methodum reuocari debent, ad quam reducuntur ii, qui de statu pacato historias commemorant.*

3 *In nullo genere historiarum tam varii ac multiplices reperiuntur, autores Historici, quam in Politicis, sicut apparebit ex eorum indicibus & catalogis, quos paulo post contexemus, ita vt studiosi Polit. magna quidem habeant adminicula ad prudentiam Polit. ex historiis comparandam; sed interim egeant quoque magno iudicio ac delectu, atque adeo instructione, qui*

potissimum autores, & quo ordine sint legendi; qua de re consilium nostrum fideliter communicabimus.

4 *Historici Politici multa admiscent, partim Ecclesiastica, partim Ethica & Oeconomica, quæ oportebit à Politicis accuratè discernere, vt etiam infra monebitur.*

Porro Historici Politici pertinent vel ad Politiam aliquam antiquam vel recentiorem.

Antiqua Politia est vel summa, siue vniuersalior, vel particularior.

Antiqua Politia summa, siue vniuersalior, nihil aliud est quàm Monarchia vetus, eaque triplex; Babylonica, Chaldæa, siue Assyria, deinde Persica, denique Græca siue Macedonica.

De Historicis pertinentibus ad historiam Babylonicam, Chaldæam & Assyriam, sunt hi Canones:

1 *Nullus ferè amplius extat Historicus integer, qui de rebus Chaldæorum & Assyriorum scripserit.*

2 *Fuerunt olim duo præstantes Historiæ Chaldaicæ scriptores, vid. Berosus & Manetho; sed vtriusq; scripta interciderunt, neq; amplius extant, nisi confecta ab Annio quodã Monacho Viterbiensi; de qua re infra fusius docebitur quãdo de suppositititiis Historicis tractandum fuerit.*

3 *Fuerunt enim Græci & Latini copiosi suarum*

suarum rerum præcones; Chaldei vero & Persæ nihil ferè de rebus suis prodiderunt.

Canon est Bodini in Methodo Hist. cap. 1. & 4. Sunt de vltimis præsertim regibus Babyloniis nõnulla in S. literis, vid. in vlt. Regum, in Ieremia, in Daniele, in Esthra, in Nehemia: Et Iosephus ea quæ in veteris Testamenti lib. reperit, ita inseruit lib. suis Antiquitatum Iudaicarum, vt nihil pænè aliud narret, quàm quod ibi iam extat.

4 *Iuba dicitur libros duos de Assyria scripsisse, sed delitescunt in Bibliothecis velut in carcere, aut etiã fortassis planè interierunt; ego sanè neminẽ legi qui profiteatur se hũc autorẽ legisse.*

5 *Itaque, qui aliquid velit legere de rebus Chaldaicis, eum oportet passim in aliis historicis ea quærere, qui ex professo de rebus Chaldaicis non scripserunt, sed vel de Græcis vel de Latinis historiis.*

6 *Quædam, sed ea paucissima de Chaldæis reperiuntur in Herodoto, in lib. qui inscribitur Clio, Diodoro Siculo lib. 3. cap. 7. & 8. Thucydide, Xenophonte, Plutarcho, Zonara, Ctesia, Orosio, lib. 2. c. 2. Iustino, Cassiod.*

7 *Plinius de Spina Babylonis regia aliquid commemorat lib. 13. cap. 24.*

8 *De Regni Assyrii ad Medos translatione nonnulla sunt in Iustino lib. 1. & Velleio Paterculo itidem lib. 1.*

9 *August. lib. 18. de Ciu. Dei, c. 21. et quædam habet de Chaldæis, vt & Euseb. in Chron.*

10 *Cyrillus aduersus Iulianum quædam etiam de Chaldæis inseruit.*

11 *Ælianus sparsim etiam aliqua miscet de Assyriis.*

12 *Iamblichus nonnulla habet de Chaldæorum mysteriis de Deo, de Sacerdotibus, de Dæmonibus.*

13 *Beda in lib. de sex ætatibus itidem quædam habet de Chaldæis.*

14 *Tzetzes nonnulla narrat de Belesio Babylonio, & quorundam aliorum regum luxu.*

15 *Antonius Florentinus Archiepiscopus ex aliis nonnulla congessit de Nabuchdonosore Chaldæo, titulo 4. sui operis, cap. 1.*

16 *Æneas Syluius, qui postea cum fieret Papa,* Pius Secundus *dictus fuit, in lib. suo de Asia, aliquid etiam habet de Media, cap. 32. 33. & 34.*

17 *Cælius Rhodiginus nonnulla attingit de Medorum ritibus, item de quorundam regum Assyriorum profusis delitiis; inprimis vero de vita Sardanapali, & de monumento Semiramidis, de quibus etiam fere eadem habet Crinitus.*

18 *Sebastianus Munsterus in Cosmographia quædam etiam narrat de Babyloniis, Chaldæis & Assyriis, vt & Iohannes Bohemus in lib. de Moribus gentium.*

19 *Bodinus in Methodo Historica, cap. 1. itidem nonnulla habet de rebus Chaldæorum & Assyriorum; quos quidem populos ille tali elogio ornat non immeritò:* Quoniam, *inquit*, à Chaldæis & Assyriis Reip. gubernandæ ratio, disciplinæ humanitas, denique vita ipsa profecta est, imprimis illorum antiquitates inuestigabimus, *&c.*

Et tantum de historicis pertinentibus ad Monarchiam Babylonicam: Sequuntur historici pertinentes ad Monarchiam Persicam, de quibus sunt hi Canones:

1 *De rebus Persicis antiquis, nempe nulli etiam extant pleni Historici. Olim quidem fortè fuit Megasthenes, pro quo* Metasthenem, *nescio quem finxit Annius ille Viterbiensis Monachus, de quo suo loco dicetur.*

2 *Ctesias quoq; scripsit Historiam Persicã, sed nec ea extat amplius: Fragmenta eius quædam supersunt, quæ addi solent editionibus nonnullis Herodoti, præsertim autem illi, quæ prodiit anno 1570.*

3 *Itaque & Historiæ Persicæ sparsim quærendæ sunt, qui aliarum gentium historias ex professo scripserunt.*

4 *In sacris literis, præcipue vero in Daniele quædam leguntur de primis regibus Persarum.*

5 *Herodotus lib.1.interitum regni Medorum, & translationem ad Persas narrat.*

6 *Xenophon etiam quædam habet; & Strabo lib.15.*

7 *Habet etiam nonnulla Augustinus in lib. de Ciuitate Dei, habet etiam Eusebius in Chronico, Orosius, item & Beda.*

8 *In Plutarcho quoque sparsim de Persis quædam inseruntur.*

9 *Iohannes Zonaras Tom.1. inseruit, vt Assyriorum, ita quoque Persarum nonnullas historias.*

10 *Nicetas Choniates de rebus Persicis scripsit lib.1.suorum annalium.*

11 *In appendice ad Orientalem Historiam, Zonaræ, Nicetæ, Gregoriæ-Leonici, Chalcōdylæ, qui autores simul editi sunt Francofurti, anno 1587. quædam etiam de rebus Persicis reperies.*

12 *Plinius quoque passim quædam inserit de Persis, vt & Ælianus, Tzetzes itidem nonnulla habet de Persis.*

13 *Habet etiam nonnulla Antonius Archiepiscopus Florentinus, Titulo 11.cap.3.vbi reges Persarum annumerat.*

14 *Iohannes Bohemus agit de Persarum moribus, ritibus & institutis, vt & Munsterus in sua Cosmographia.*

15 *Barnabas Brissonius præ omnibus aliis*

præclaram operam in rebus antiquis Persicis nauauit, scriptis libris tribus, de Regio Persarum principatu, quibus ex omnibus Historicis collegit quæcunque reperire poterat de statu Persico, vel pacato vel turbato; qui libri editi sunt Heidelbergæ ex typographia Comelini, anno 1595. & tantum de Historicis Babylonicis & Persicis.

Hucusque autor progredi potuit.